11

UNIVERSITARIA
R. BIBLIOTECA
SCAFFALE
6
172
PADOVA
DONO
ORTO BOTANICO

1# 19


TH: BARTHOLINI
DE
UNICORNU
OBSERVATIONES.

# THOMÆ BARTHOLINI

# DE

# UNICORNU

## OBSERVATIONES NOVÆ.

*Secunda editione Auctiores & emendatiores editæ à Filio*

CASPARO BARTHOLINO.




AMSTELÆDAMI,
Apud HENR. WETSTENIUM,

---

CIↃ IↃC LXXVIII.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

HEROI

# D^N. FRIDERICO

COMITI AB AHLEFELDT,
LANGELAND ET RIXINGEN
BARONI IN MOERSBURG
GRAVENSTEINII UTRIUSQUE
SEEGARDIÆ BALGARDIÆ
ET WILTNUSSI DOMINO
ORDINIS ELEPHANTIS EQUITI
SACR. REG. MAJEST.
DAN. ET NORW.
CANCELLARIO MAGNO
CONSILIARIO INTIMO
STATUS ET PROVINCIALI;
PRÆSIDI IN COLLEGIO
STATUS ET CANCELLARIÆ
IN DUCATIBUS SLESVICI
ET HOLSATIÆ
REGIO VICARIO
STEINBURGI ET IN
DITHMARSIA
GUBERNATORI ET PRÆFECTO
ACADEMIÆ REGIÆ
HAFNIENSIS
PATRONO BENIGNISSIMO

ILLUSTRE HOC MARIS
BOREALIS SPOLIUM
DECANTATUM TOT
ELOGIIS AMULETUM
NATURÆ ARCANUM
VENENORUM OPPROBRIUM
FORTITUDINIS SYMBOLUM
SECULORUM LUSUM
A PARENTE OLIM ILLUSTRATUM

# UNICORNU

ET QUICQUID PRÆTEREA
DE SOLO CORNU
VEL DEPRÆDICANT
ANNALES GENTIUM
VEL ÆSTIMANT NOSTRI
A SE VERO AUCTUM ET
EXPOSITUM
IN DEBITÆ VENERATIONIS
SIGNUM
NOVI ANNI EXORDIO
QUOD FORTUNATUM ILLUSTRISSIMÆ
ILLIUS FAMILIÆ VOVET
L. M. Q. D.
ROMÆ CAL. JAN. cIↃ IↃc LXXVII.
CASP. BARTHOLINUS THOM. FIL.

# PRÆFATIO AUTORIS EDITIONIS PATAVINÆ

Anno cIɔ Iɔc XLV.

## TH. BARTHOLINUS LECTORI SUO.

*MIraturum Te, mi Lector, animo vates præſagio temeritatem in ætate, & audaciam ſerioribus alioquin annis ſervandam, quia cornua oſtendo & largiorem frontem. Sed ſeverius judicium tantiſper differ, donec ſpeciem meam detectâ larvâ preſſius intuearis. Apertam enim frontem gero, nec erubeſco: at cornua & aliena ſunt, &, ut experieris, innoxia. Hæc ſine faſtu ullo, publicique amans ea ſinceritate explico, quâ apud innoxium nata; illam verò debita ætati mihique verecundia ſubducam, ſi bilem cuiquam moverit. Sed fruſtra publicum fugiunt, quum nec frons ſervilibus notis, picti Gelonis inſtar, ſit ſignata, nec cornua fenum*

*gerant ſimplicitate innocentiam nacta, quia ſolitaria in alios potius, quam ſe, ſalutarem vim vertant. Animus tamen dictat cornua noſtra, quanquam aliena & ſine offenſa,* Parentem *petitura, frontemque ſpatioſam eruditis inviſam fore, quibus ex ætate & genii benignioris ductu pares huic labores exſurgunt.* Cornibus *ſanè ea naturæ obvenit conditio, ut decidant ſubinde & renaſcantur, colorem mutent & obtundantur, variaſque ætatum flexu vices agant. Ego curioſo impetu decidua collegi & reliquias, cornuumque fruſtula ad novum germen inſtruxi, iis quam ſimilimus, qui inveteratos fractoſque ramos vel nova adornant inſertione, vel in domeſticum precium convertunt. Rem omnem ſine verborum ambage expediam. Paucas de* Unicornu *pagellas gravioribus impeditus negotiis in publicum fugiente calamo emiſerat* Parens, *eo applauſu, ut in hoc argumenti genere palmam meruerit & benevolas univerſi orbis voces, quod primus velut arbiter de Cornuum veritate inter diſſi-*

dentes

*dentes* Andream Baccium *&* Marinum *certo experimento conſtituerit, quibus ita adhæſerit, ut neutri tamen aſtipulare-tur. Neque enim quæ de ſolo cornu fe-rebat fama ſæculumque prius omnia cum* Baccio *credebat, neque ſummâ veterum injuriâ cum* Marino *ad extremum al-terum prolapſus cuncta* σκεπτικῶς *in dubium vocabat, ſed medio uſus tem-peramento Cornu animalque probavit, virtutem autem plenis olim buccis decan-tatam juſtis de cauſis habuit ſuſpectam. Scilicet hinc ingeniorum æſtimamus feli-citatem omnia æqua lance expendere, & de ipſis recte judicare, quod interioris animæ opus ſenſuum dexteritate fultum, quo quicunque caret fruſtra in accurato rerum ſeriarum examine locum exſpectat.* Baccium Marinumque *ſequuti* Geſne-rus *&* Aldrovandus *utriuſque ævi* Pli-nij, *quum univerſam Naturæ hiſto-riam ſuis operibus meditarentur comple-cti, ſingula accuratiori judicio ſcrutari non potuerunt. Unde hic* Marinum *reddidit, cujus videbatur partes ſequi,*

*& Latio donavit quem ſibi adoptaverat. Idem ſaxum volvens* Jo. Bapt. Sylvaticus, *inter ſuos princeps, Bacciana argumenta & ingenuè refert & refellit ingenioſè, in cæteris perfectus, ſi ad alias Monocerotum ſpecies divertiſſet. Ex eo extitere nulli qui in hac palæſtra nomen ſuum profiterentur, quod confectum negocium crederent tantorum hominum concurſu. Nec tamen palma ſublata aliquid conaturis. Unde nobis renatus quoque animus, creſcentibus ad novum ſpectaculum cornubus nunquam in Amphitheatro viſis, quæ urgens Syrij æſtus nuper, quum alia vehementius liqueſcerent, & nos alioquin communi torpore ſubſideremus, prima protruſit, ſparſimque ad* Parentis *Opuſculum nobis in itinere notata, ad certas Obſervationum claſſes reduxit: quæ ut vides tædioſi fuerunt otii potius quam debitæ diligentiæ,* novæque *facili tua venia dici merentur, quod nihil fere à Parente antea notatum ingloriâ repetitione tranſcripſerim, nec quidquam quod ad perfectam Monocerotum omnium*

*ideam*

*ideam faciat, omiſerim, aliis plura non debens quam ſine ære nomen.* Marinum *puto,* Baccium *&* Aldrovandum *alios-que hujus commatis, quibus placidam ἐπίκρασιν ea modeſtia mutuor, quæ ἀκέρατον decuit, quum neque Actæon ſim, neque Ammonius, quorum hic naturæ, ille fortunæ debuit ornatum. Utrique profectò ego ex ratione temperarem, ſi vel Deus eſſem, vel Deam contemplarer. Ex qua animi conſtantia aliquid nobis promittimus, qui opus damus cornutum ſine cornubus & offenſa, cornua ſed ſola & inſititia, frontem demum eo ſinceritatis colore, quem à tua facilitate exſpecto.*

HENR.

# HENR. WETSTENIUS LECTORI S.

TErtius jam labitur annus ex quo Clariſſ. D. D. CASPARUS BARTHOLINUS TH. F. haſce oras derelicturus tractatum hunc de *Unicornu* à ſe emendatum & auctum ANDREÆ FRISIO Bibliopolæ accuratiſſimo nec perfunctoriè docto, excudendum tradidit. Suſceperat hic namque id negotii, nil aliud animo volvens niſi abſolutis ab eodem Clariſſ. Auctore partim exaratis, partim emendatis Tractatibus tribus de *Armillis*, *Puerperio*, *& Inauribus Veterum*, & hunc prælo committere. Verùm alia jubebant fata! Paulo pòſt enim calculo laborare cœpit, cumque per quinque ſexve menſes cum graviſſimo hoc morbo magniſque cruciatibus colluctatus eſſet, tandem morti ceſſit. Exiit, inquam, hic noſter à nobis, quibus magnum ſui deſiderium, ſibique æternam

ex

ex doctiſſimis nitidiſſimiſque editis libellis comparatam reliquit famam. Diu fluctuabant Hæredes antequam de diſtrahendo Bibliopolio ageretur, nec plus ſesquiannum agimus, quum id maxima ex parte juri noſtro ceſſit. Inter reliqua & *Cornua* hæc, de quibus edendis jam tum cogitabamus. Sed deërant varia operi perficiendo, nec ferebat occaſio unde tam citò peterentur. Degebat nimirum tunc temporis Celeberr. D. AUCTOR Romæ, reliquas quoque Italiæ partes aditurus: unde paucos ante menſes redux ſuppeditavit quæ abſolvendo tractatui neceſſaria erant. Prodit ergò en! ſeſeque tuo uſui ſiſtit, non ingratus ut ſpero hoſpes, quem proxime, faventibus ſuperis, Tractatus de *Tibiis Veterum eorumque antiquo uſu* ejusdem Auctoris Noſtri ſequetur. Tu LECTOR ERUDITE, labore noſtro fruere, ac conatibus, quibus publico prodeſſe ſtudemus, fave.

Εἰς

# ΘΩΜΑ͂Ν ΒΑΡΘΟΛΙ͂ΝΟΝ,

τὸν πάνυ, περὶ μονοκέρωτος γραφέντα.

## Πρὸς Μῶμον.

Μῶμε, πρὸς Βαρθλῖνον ἀεῖραι φεῦγε κέρατα,
Ὥς μὴ τῷδε κέρα, μωρέ, σε τυψάμεναι.
Ἔστ' εὐποίητον, στιλπνόν τε, καὶ ἔξοχον ὀξὺ,
Ὥστ', εἴπερ βλάψῃ ἔγκατα, Μῶμε, τεὰ,
Λήψῃς γαῖαν ὀδὰξ, καὶ οἱ μετόπισθε γένωνται)
Οὐ βλέψωσ' ἀγαθῶν βιβλία σ' ἰψάμεναι·
Εἴθ' ἦμαρ καλοὶ κ' ἀγαθοὶ τοῖόνδε βιῶσι,
Φήμην καὶ δόξην, Μοῦσ', ἂν ἔχοις σφετέρην.

## *Idem (ſed paullo liberius) Latinè.*

MOme, cave contra Barthlinum cornua tollas,
Ne læſus cornu te male jam feriat.
Nam factum affabre eſt, terſum eſt, & acumine pollet,
Ut, ſi contingat viſcera, Mome, tua,
Sis moriens morſurus humum, nec ſecla videbunt
Poſtera te egregiûm rodere ſcripta virûm.
O utinam docti tam tempora læta viderent,
Conſtaret Muſis fama decuſque ſuum.

M. Sladus M.D.

IN-

# INDEX CAPITUM.


I. DE Hominibus Unicornibus. 1
II. De Bicornibus. 15
III. Moyſis cornua expenduntur. 25
IV. Numquid Cornua Morbis accenſenda? 31
V. Cornuum Cauſæ. 37
VI. Animantia minora unico cornu prædita. 41
VII. Aves Unicornes. 44
VIII. De Scarabæo Monocerote. 52
IX. De Reptilibus unius cornu. 57
X. Orygis Etymon, & ſpecies. 65
XI. Orygis deſcriptio. 74
XII. De moribus Orygis. 83
XIII. De occulta Orygis ſcientia. 92
XIV. Piſces Monocerotes. 102
XV. De Unicornu Groenlandico. 107
XVI. Boves Unicornes 125
XVII. Aſini Monocerotis ſpecies. 133
XVIII. De ejusdem cornu virtute. 142
XIX. Solius cornu Equi. 151
XX. Rhinocerotis nomina. 153
XXI. Rhinocerotis Deſcriptio. 161
XXII. Monocerotis veri nomina. 175
XXIII. De Unicornu in Cruce Chriſti. 183
XXIV. Monoceros verus varia authoritate aſſeritur. 196
XXV. Idem Rationibus evincitur. 222
XXVI. Monocerotis Forma. 238
XXVII. Omnium Unicornuorum Examen. 251


XXVIII. Mo-

XXVIII. Monocerotis Proprietates. 268
XXIX. De Virtute Monocerotis. 275
XXX. De Uſu Cornuum ad pocula. 304
XXXI. Cornua pro ornamentis. 319
XXXII. De Cornuum in Medicina uſu. 322
XXXIII. De Menſuris corneis. 335
XXXIV. Cornea officinarum & ſacrorum inſtrumenta. 340
XXXV. De Cornu Cervino. 353
XXXVI. De Ebore. 359
XXXVII. De Unicornu foſſili. 365

# THOMÆ BARTHOLINI
## CASP. F.
# DE UNICORNU
## OBSERVATIONES NOVÆ.

---

### CAP. I.

*Hominum Monocerotum exempla. Cornua frontis Albucaſis. Heliodorus explicatus. Dionyſiſci. Cornicularii apud ICtos. Facies Didonis. Aliarum partium Cornua. Verrucæ.*

COrnutorum animantium, quæ ſolo cornu eminent, auſpicaturo hiſtoriam, ab humano genere nobilitatis quodam jure ordiendum, in quo cornuum tuberibus nonnunquam luſit Na-

A tura,

tura, ut variis exemplis obſervarunt *Amatus Luſitanus* in Centuriis, *Jacobus Dalechampius* ad Plinium, *Lycoſthenes*, *Weinrichius*, *Paræus*, aliique quorum catalogum in Opuſculo ſuo *Parens* texuit. Horum autem ſeriem auget princeps Gallicæ hiſtoriæ conditor *Jac. Aug. Thuanus* lib. 123. ubi Franciſci Troviluvii Anno circiter 1599. per Galliam oberrantis cornu arietino è frontis media parte enato hiſtoriam interſperſit, qui multorum oculos ſimul meruit, & nummos. De quo ad *G. Fabricium Hildanum* quoque Obſ. 25. Cent. 2. *Emanuelis Urſtiſii* extat Epiſtola, qui eundem Pariſiis 1598. præſentibus *D. Jacobo Feſchio*, & *Io. Echenſtenio* diſcipulo ſuo & vidit & contrectavit. Planè eundem hunc Franciſcum fuiſſe arbitror quem deſcribit *Jo. Renodeus* lib. 3. M.M. c. 21. *Pro monſtro habitus eſt ruſticus quidam Cænomanus, cujus fronti cornu adnatum craſſiſſimum duos palmos longum, ad occiput incurvum Lutetiæ A. D. 1600. vidimus.* Parvo enim differt temporis intervallo

vallo utriuſque ſæculi terminus. Neque memoriæ noſtræ Monocerotes in utroque ſexu defuerunt. A nativitate prima infanti productum lib.3.Prax.Adm. Obſ. 93. refert *Zacutus Luſitanus*, quod ex fronte primum duri nodi ſpecie emerſum paulatim in juſtam cornu magnitudinem crevit, palmi dimidii longitudine, juxta radicem amplum, in cuſpide pollicis magni craſſitie. Simile corniculum in frontis angulo parvum Carolo Sartori Neapolitano ad D. Dominicum habitanti quoque obſervatum cervæ vel vitulæ junioris ſpecie, de quo *Marcus Aurelius Severinus* magnus Campaniæ Doctor cap. 25. de Nov. Abſceſſ. retulit, qui quidem me præſente adhuc ſuperſtes, lucem tamen fugit, nec à nobis videri voluit. Et pauci abhinc effluxerunt anni, quum in valetudinario Mediolanenſi juſtæ ætatis puella in fronte cornu geſtaret ſemipalmare, & una parte ſtriatum, quod à *Matthæo Bergomate* Chirurgo ejus loci fuit detractum. De alia puella Cornuta ſcriptum

promiſerat *Paulus Lentulus* à *Fabricio Hildano* Cent. 4. Obſ. 81. deſideratum. Propinquius verò in eodem ſexu ſequiore nobis eſt exemplum Patavinæ cujuſdam ſacræ Virginis, à me eo nomine viſæ, annorum 60. in Cœnobio S. Sophiæ, cui, precibus ejuſdem victus, corniculatam epiphyſin exſcidit Vir ſummus *Joannes Veſlingius*, quæ in frontis elatiore parte ſiniſtrorſum enata fuerat, eadem cum vaccino cornu ſubſtantia, ſimilique duritie, lentore & colore, ex ampliore baſi paulatim in acumen ſurſum extollebatur extremo nonnihil inflexo, longitudine & latitudine digiti articulum adæquans. Purmerenti in ſeptentrionali Hollandia, paupercula mulier *Margaretha Mainers* ſeptuagenaria vixit, quæ viginti retrò annis, ex mœrore prodigi filii tumorem primò in dextrâ capitis parte ſupra muſculum temporalem obſervaverat, qui in cornu tandem excreverat digitos duodecim longum, caprini cornu craſſitie, duritie & ſimilitudine. Ex temporum



porum ferè regione ſeu ſincipite emergens reflectebatur, incurvabaturque, ſurſumque ſummum caput petebat, cui ſe mobile applicabat, ut commodè vittâ tegi poſſet & occultari. Ad radicem rubebat cutis & pruriebat, ſique rudiùs tractabatur, ſanguinem proliciebat. Inter caput & cornu primùm vix digitus inſerebatur, poſteà totam manum admiſit, quia continuò creſcebat. Inviſi ipſam 1646. & ſtudiosè luſtravi, hancque fœminæ grandævæ imaginem per pictorem expreſſi. Quæ exempla præter miraculum dixeris, ſiquidem ipſas frontis eminentias angulares cornua appellarit antiquitas; cujus teſtis Chirurgorum Arabum princeps *Albucaſis* ſive ejus *Interpres*, qui part. 1. Chir. c. 3. de modo cauteria applicandi in totius capitis dolore, diſertè id explicavit: *Deinde cauteria ipſum* (ſcilicet caput) *ſuper omne cornu capitis ſui cauterio, donec pertranſeat cutis.* In qua nomenclatura perſiſtens ad calcem addit: *Oportet quod ſit cauterium, quo cauteri-*

*zantur*

*zantur cornua capitis, & occiput ejus ſubtilius cauterio.* Quæ loca de prominenti cranii frontis tubere benigna Doctorum venia interpretor. In aliis partibus *Exoſtoſin* nominat *Galenus* lib. de Tum. c. 5. quanquam hæc ad morbum, illa ad naturam potius retulerim. Illas autem eminentias oſſeas ſeu ὀστώδεις ὑπεροχὰς *Dionyſiſcos* proprio vocabulo nuncupat *Auctor* Definitionum, *Galeni* putatus, monetque cornua quoque vocari ἀπὸ τῶν κεράτων φορούντων ζώων κεκλιμένα. Quod & inſinuat *Heliodorus* in Opere Chirurgico MS, in Bibliotheca Medicæa Florentiæ à me exſcriptus. Ita enim ille in Capite περὶ ὀστώδους ἐπιφύσεως· ὅταν δὲ δύο ἐπιφύσεις γένωνται πλησιάζουσαι τοῖς κροτάφοις, κέρατα ταῦτα τινες εἰώθασιν ὀνομάζειν, ἔνιοι δὲ Διονυσιακοὺς τοὺς οὕτω πεπονθότας ἀνθρώπους προσηγόρευσαν. In quam ſententiam pauca notavit in margine *Interpres* aliàs à nobis explicanda. Quod ſi altera duntaxat parte obortus ſit oſſeus hic tumor, ſingulo numero *Dionyſiſcum* appellari poſſe concedit *Io.*

*Phil. Ingraſſias* p. 372. At Dionyſiaci nomen meruerunt, non ut arbitratur *idem*, & cum eo *Viri* non infimæ claſſis, à Satyris, quorum ſpeciem referant, ſed à Baccho Dionyſiaco, cui cornua tota Paganorum ſecta appinxit. Quid enim cum Satyris Dionyſio? nihil ſanè magis quam cum Actæone, quibus cornua fuere communia. Ateſtæ prope fanum S. Mariæ Minoris in antiquo ſaxo inſculpta viſitur mulier binis cornibus mediæ Lunæ excavatum orbem referentibus. Quam & inducit in Antiq. Ateſt. *M S. Hippolitus Angelerius.* Sed jam temporis edacitate obſcuriora omnia aliis non comparentibus literis præter has:

V..... S....
L..... M....

Id eſt, voto ſuſcepto vel vivens ſibi locavit monumentum. Arbitror Junonem hic expreſſam fuiſſe, quam aliàs Romæ ſic fronte lunata conſpeximus.

Ibidem loci in eximio marmore [cu-

jus

jus partem ediderat *Pignorius*] cornicu-lum galeæ elegans obſervavi, cujus ex-tremitatem aquilæ caput efformat. Caſ-ſis verò ita compactilis eſt, ut totum involvat caput ſolis oculorum orbitis oriſque patulis foraminibus. Ut mirari ſubeat *Lipſium* qui lib. III. de Milit. Roman. Dial. 5. veteres clauſas, ut nos, & vultui appreſſas galeas undique habuiſſe negavit. Reliquam marmoris partem exactè adeò delineavit *Herodotus* lib. VII. ut idem vidiſſe diceres. Quod à doctiſſimo calamo *Io. Bapt. Zoiæ* brevi exſpectamus clarius explicatum: in cu-jus ædes ingens hoc antiquitatis monu-mentum, non ſine inſigni lætitiæ ſen-ſu tranſlatum vidi.

Cornutorum familiam, ut alios ta-ceam, auget *Annæus Cornutus*, quo u-ſum familiariter *Perſium* veteres *Gloſſæ* referunt. Hunc verò à Nerone exilio mulctatum, teſte *Dione*, feliciſſima ſua Muſa ita *Pagaginus Gaudentius* Vir in-finitæ doctrinæ *cap.* 59. *de Phil. orig. apud Roman.* perſequitur:

*Nam Nero Cornutum cultorem Palladis urbe*
*Ejicit, & Gyaris conſenuiſſe jubet.*

Sed quare cornutus? ſectæ id ſuæ debuit. Stoicus enim erat, & firmioris animi.

Hujus generis cornutos apud alios legiſſe non memini. Monoceros quidem dictus Crater apud *Plinium* lib. 10. c. 43. eo quod deveheret in ſilvas corvos corniculis humeriſque inſidentes. Cornicula autem galeæ ſunt cornua, quæ ad unitatis numerum reduxit orbis miraculum *Claudius Salmaſius* ad Solinum. Idque jure meritiſſimo, quia ab unico illo galeæ cornu Monoceros dictus Crater, quod in galea *Livius* lib. 27. de Philippo Macedone confirmavit: *In arborem illatus impetu equi alterum cornu galeæ ad eminentem ramum perfregit.* Unde corniculo mereri apud *Tranquillum* de Orbilio Grammatico, & Cornicularius miles *Valerio Maximo* lib. 6. c. 1. de quo *Turnebus* l. 5. Adv. c. 10. Hincque Corniculariorum frequens

apud

apud *ICtos* mentio, quos *Gloſſa* vetus *Accurſii* jam adjutores Principis cuſtodiæ dicit, vel officiales ſeu accenſos attributoſque Decurionibus, jam in bello militaribus Decurionibus accedentes. De prioribus Cornicularüs extat *Leonis* privilegium *Cod.* 12.§.53.l.1. *poſt transactos corniculos noſtram adorare purpuram volumus; quo honore perfunctis, cum jam miſſionem tenuerint, liberum otium damus.* Ubi quid ſint Corniculi me doceant Juris Interpretes. Cornicularii alioquin apud eoſdem ſunt, qui vel cornu in acie geſtabant, vel vota in aures judicum inflabant; ſed eos hoc Codicis loco accipiendos negat *Antonius Nebriſſenſis.*

Umbram ficti Unicornis in crinibus expreſſit in Didone antiquitas, quæ Venetis forſan virginibus imitandi quondam exemplum dedit, Pataviniſque Græcorum, & Trojanorum reliquiis, ut in cornua crines torquerent, ſervato adhuc in novis nuptis Venetiis more. Ejus vetuſtatis indicium præbet Dido-

nis cornutæ facies in numiſmate veteri apud *Angelicum Aproſium Vintimigliam* ſacrorum profanorumque peritiſſimum, quanquam in alio argenteo nummo Romæ à me viſo, crines cornua non monſtrent, ſed faſciolæ incluſi ſculptorum arbitrio cernantur. Hoc crinium artificium frequentius imitabantur Romanorum altioris ſortis feminæ, modò cornuum figura, modo virilium cirrorum, ut in nummis Æliæ Petinæ, Antoniæ, Statiliæ Meſſalinæ, Criſpinæ, Didiæ, Helenæ Gallieni, Fauſtæ, Valeriæ, Conſtantiæ, Theodoræ, Sophiæ, Martinæ, aliarumque delinearunt Antiquarii, & inter eos *Jac. de Strada* Mantuanus, è cujus Theſauro quas è regione vides nummorum delineationes deprompſimus.

Non tamen Caput ſolum Unicornium ſedes habenda. Nam Romano cuidam ſuperioribus annis è naſo cornu excreviſſe accepi. Ex dorſo quoque emerſiſſe cornu *Scaliger* Pater Excerc. 199. ſect. 5. retulit, & de alio ſcribit

*Aben-*


STATILIA MESSALLINA NERONIS IMP.
AELIA PETINA CL. IMP.
HELENA AVG. GALLI. IMP. AVG.
DIDIA CLARA DID. IVL. IMP. F.
D.N. MARTINA FEL. AVGVSTA.
FAVSTA AVGVSTA

*Abenzoar* lib. 1. Theis. Tr. 6. l. 2. c. 5. cujus dorſo concretum os inſtar cornu, non ita durum ut os naturale. Forſan cartilago prævia oſſium materia. Quid? quod de ſeipſo *Abenzoar* eodem loco narret, natum ſibi ſuper dorſum os graviter moleſtum. In quodam presbytero prodidit *Robertus Flud* l.4. Anat. c. 8. lienem præter naturam auctum, in ſuperficie convexa plura cornua exturgeſcentia protuliſſe, quorum ſubſtantia tantâ fuerat duritie, ut vix ſcalpello ſcabi potuerint. In pedibus & manibus ſola quoque cornua eriguntur, præſertim ex Verrucis continuato tractu ob materiæ affinitatem induratis, ſicut id fratris ſui minimo digito quondam contigiſſe narravit *Ludovicus Pouchius* Civis noſter, in ſpem patriæ feliciter ſurgens. Nec mirum quandoquidem ex Verrucarum genere Cornu ponat *Ingraſſias* in Avic. tr. 1. c. 1. de Tum. p. n. Articulorum cornua *Abenſina* deſcribit l.4.tr.3. c. 14. *Cornua ſunt additiones ſpiſſæ, recurvæ, naſcentes ſuper juncturas, in extremi-*

*mi-*

*mitatibus.* In calcaneo denique cuidam enatum cornu *Zacutus* lib. 2. Obſ. 178. fidem facit, palmi longitudine, durum, ſolidum, denſum, aculeis veſtitum. Hæc prælo exceſſerant, quum de Viro quodam famam ad me perferret R. P. M. Franciſcus Abrianus, cui cornu, non ita parvum ſerrâ nuper Vicentiæ ſecundo eventu diſſectum fuerat. Ex maxilla viri in Helvetia enatum cornu arietino ſimile vidit *Io. Caſp. Bauhinus* Baſilienſium Archiater, qui iconem ejuſdem mihi transmiſit ſed jam deperditam.

## CAP. II.

*Bicornorum ſylloge. Alexander cornutus. Harpocratis ſtatua. Attilæ cornua unde? Ejuſdem ferini mores, & de eo fabulæ. Cornua potentiæ ſymbolum, ſuperbiæ, & maledicentiæ. Barthius laudatus.*

BIcorni facie alios eluxiſſe monumenta veterum ſive ex ingenio ficta, ſive veritate fulta, teſtantur. *Val. Max.* de Piet. in Patriam, Genitio Prætori

tori Cornua in capite emerſiſſe refert. Atque bicornem Monachum Benedictinum olim Patavii viſum amicus noſter *Io. Rhodius*, Patriæ decus, mihi teſtis eſt; nec bicornem tantum, ſed ruminantem quoque non ob duplicem ventriculum, ut putaverat *Io. Thomas Minadous*, ſed ob œſophagum muſculi inſtar carnoſum à diſſectore cadaveris *Franciſco Plazzono* obſervatum. De quo ruminatore latè *Fabricius ab Aquapendente* lib. de Ventr. diſputavit, cujus quoque fratrem cornu habuiſſe veſtigia *Io. Prævotius* quondam monuerat, ut & Nobilem Patavinum. Plures quod per ordinem Naturæ non habuerunt, in certum Divinitatis argumentum ſibi affinxerunt. In horum cenſu Alexandrum reperimus, Magnum à rerum geſtarum gloria dictum, qui ut Jovis Ammonis crederetur filius, hujus cornua arietina vel aſſumpſit ipſe, vel ab aliis data non repudiavit. Ad Ammonium enim Jovem Aries ſpectabat, quem umbilico tenus, autore *Q. Curtio*, referebat, qualem

lem & Venetiis, & apud majorem ætate & ingenio fratrem *Bartolum Bartholinum* in æneo toreumate pridem vidi. Unde Ammonius idem Corniger *Silio Italicò* lib. 3.

*— nemoroſaque regna*
*Cornigeri Iovis.*

Et ante:

*Exin Cornigeri veneratus numinis aras*
*Captivis onerat donis.*

Ita namque legendum, pro *Clavigeri*, optimè conjecit *Fr. Modius* in Nov. Lect. Epiſt. 34. Cornuficia apud Romanos familia à nummo Jovis Ammonis nomen meruit. De quo vide ſis *Fulvium Urſinum*. Cornua Alexandri arietina duplici repoſita loco animadverti, vel pone aures reflexa, vel à fronte ſumma ad aurium pinnam ſeu alam incedentia: illud frequentius in nummis occurrit & in marmore quodam vidiſſe me memini, hoc verò in numiſmate meo veteri invenias, quod hic ductu artificis depingendum curavi.

Non




Non abſimile eſt alterum Cl. V. *Io. Rhodii* modo laudati argenteum, niſi quod adverſa parte veterum Laſerpitium accuratè monſtret. E fronte ſeu potius capite medio, recto tractu extenduntur in denario ejuſdem argenteo ſupra caſſidem erecta caput ambientem, quod Alexandri eſſe ſuſpicor ex ſignato Philippi nomine. Quanquam enim Romani ſit ſæculi, ex Provinciis tamen nomina ſubinde & Inſcriptiones deſumptas novum non fuit. Niſi ad caſſidem hæc cornua referenda alibi in Nabide decantata à *Silio* l. 25.

*Caſſide cornigera dependens inſula.*

A quibus & Crater monoceros apud *Plinium*

*nium* dictus, ut antea notavimus. Sed quod in ſtatua Harpocratis dextro latere cornu ſpecie ex galea dependens Melitæ apud *Io. Fr. Habelam* Virum humaniſſimum oſtenſum fuit, non tam galeæ corniculum, quam capillorum referre texturam judicavi. At in nummo Philippi cornua facilè capiti accommodarim, quum eâ formâ in effigie Attilæ fatalis Italiæ hoſtis producantur, quam *Paulus Iovius* in Elogiis exhibuit, bis à me in nummo viſam, cujus exemplar diligentiùs delineatum cum Alexandri verſâ paginâ exhibeo.

Attilæ ſimilis eſt ille qui in lucerna Antiqua Ateſtæ nuper effoſſa cornibus binis & eminentibus auribus conſpicitur, quam ad me *I. B. Zoja* Muſarum gemma miſit.

Sed cur Attilæ cornua? Factum id ejus forſan veneratione. Venerationi erat potentia, quam, ut res ſecundas, per cornua veteribus adumbratam ex *Plautino* Pſeudolo notum Act. 4. ſc. 3. ubi querela de Simia:

*Ni-*






LIPPV

*Nimis ego illum hominem metuo, & formido male,*
*Ne malus item erga me ſit, ut erga illum fuit,*
*Ne in re ſecunda nunc mihi obvertat cornua.*

Cenſuit id *Horatius* l. 3. Od. 21. de vini effectibus:

*Tu ſpem reducis mentibus anxiis,*
*Vireſque & addis cornua pauperi.*

Potentiam notavit & ferum animum in Giganteæ molis Petronio *Alexander Taſſonus* elegantiſſimus Poëta Cant. 6. della Secc. n. 22.

*Mà gli huomini mangiava, e diſtruggea*
*Cò denti il ferro, e un corno in teſta havea.*

Quo reſpexerat *idem* Cant. 3. n. 13. de Comite de la Roccha.

*In teſta un gran cimier di piume, e corna.*

Quia, ut advertit in Notis *Gaſp. Salvianus* Vir Eruditus, cornu olim coronæ ſeu imperii ſignum fuit, quod in nobilitatis ſuæ argumentum in gentilitiis ſignis adhuc Germani præferunt.

Nec

Nec in Dania infrequens, ut notavit vir ſemper laudandus *Olaus Worm.* Unde Oneirocriticum apud *Achmeten* c. 238. exſtat ſignum, ex bovinorum cornuum numero imperium Principis alieni totidem annis determinare. Et c. 239. quicunque boves maſculos vidit, de principibus eos intelligat, propter cornu. Fortaſſe tamen ad contumeliam magis hæc verterunt, quàm gloriam, ob pravam animi corporiſque indolem, qua feritatem ſuperbiamque præ ſe tulit, ut de eo *Iornandes*, *Priſcus* Hiſtoricus & *Iuvencus Celius Callanus*, in Hiſtoria Attilæ MS olim *L. Pignorii*, nunc *Io. Rhodii*, certa fide narrant. Superbiæ autem hieroglyphicum eſt Cornu, apud labentis ſæculi Chriſtianos, quo rebus humanis Attila interfuit. *Martinus Lemovicenus* Epiſt. ad Tholoſanos c.4. *Nolite extollere cornu veſtrum adverſus veritatem Majeſtatis illius, quam ſemel per me cognoviſtis.* Conſentit *Daniel Monachus* in Vita Io. Climaci: *Modice omnino edebat, ut ex hoc faſtum atque ela-*

tionis

*tionis cornu ſapientiſſimè dejiceret.* Cujus notionis origo à priori, ut videtur, dependet, quum plerumque rerum ſecundarum felicitatem elatus animus ſequatur. Denique Attilæ feritatem ferino vultu ingenioſè adumbrarunt, quem notant laudati *Iornandes* & *Iuvencus*, ut quia cætera cum belluis habuerit communia, in capite cornuto eum noluerint deficere. Ferinam capitis conformationem hoc contextu aperit *Iuvencus* MS: *Corpore fuit brevis, ſtaturâ tamen juſta. Lato pectore, capite grandi, oculis minutis, longis acutiſque auribus hirſutis & hiſpidis ut ferè ab omnibus* Canrac *diceretur, rara barba, ſed more ſuo demiſſa, canis quidem aſperis; ſimus naſo, colore ſubrufus, moribus ferus, audaciæ pronus, & verè originis ſuæ barbaræ ſigna vel lineamenta demonſtrans, ore parvo, latis tamen labiis, uno dentium qui foris eminebat plus juſto faciem dehoneſtante quantillum.* Fidem videtur exceſſiſſe auctor, ut apud poſteros patriæ ſuæ hoſti invidiam conciliaret. Quo errore quoque tenetur in

in cantilenis *Roccus Arminenſis* Patavinus, qui cane patre natum fingit, quem cum matre Virgine pulcherrima ſolum ad pudicitiæ cuſtodiam turri incluſerat Oſdrubaldus Rex, ſive, ut in hiſtoria *Iornandis & Iuvenci* vocatur, Mandulchus vel Mundzuccus. Quanquam enim de Peruſianis & Sianitis Indiæ idem referat *Mart. Delrio*, monſtrum tamen ex hac ſeminum diverſorum mixtura productum iri ex *Volaterrano* lib. 24. *Io. Langio* 2. Epiſt. c. 9. *Polydoro Virgilio* lib. 3. de Prod. & *Fortunio Liceto* Philoſophorum Coryphæo lib. 2. de Monſt. c. 68. ſtatuendum. Sed cornua in ſiniſtræ famæ ſignum geſtet Atila apud eos quos pari factorum ignominia ſignavit. Nam eo maledicentiæ ſignificatu alibi id vocis cepit *Apulejus* in Apologia: *ſupereſt ea pars Epiſtolæ, quæ ſimiliter pro me ſcripta in memetipſum vertit cornua.* Quo modo & *Flaccus* in Epod. 6. loqui amat ad Caſſium Severum, quem canis nomine indigitat, ob maledicentiam:

*Nam-*

— *Namque in malos aſperrimus*
*Parata tollo cornua.*

Cui conſonat *Ennodius Ticinenſis* Ep. 61.

*Ambitioſa fames laſſato prodiga cenſu,*
*Cornibus inſultat ſi taceat Dominus.*

De fatuo verò homine loquitur, qui lingua ſordidus horret, & pro epulis garrulitatem offert. Pro *Dominus* reponit *Domino* Vir infinitæ lectionis *Caſp. Barthius* lib. 51. Adv. c.17. licet nec vulgatam lectionem ineptam judicet.

## Cap. III.

*Moyſes cornutus vindicatur: Nummus ejuſdem. Cornua capillis qua ratione aſſignent. Melitenſis ſtatua. Cornu pro ſplendore. Rabbini & Interpretes ea de re excutiuntur.*

AD Cornutorum ſeriem ſpectat & Divinus Legiſlator, quem à monte Sinai reducem cornutam ſecum tuliſſe faciem narrat Sacer *Exodi* textus, c. 34. ſi vulgatæ verſioni credimus. Exinde pictorum ortus error, qui Moyſis faciem binis cornibus exornant. Quo


לאיה יהלך
אלהים א
חרים ע
לפני

vultu in nummo meo viſitur exſculptus, in quem Romæ incidi, arietino cornu utrimque reflexo, quod in *Rhodiano* in rectum anterius protenditur, habetque adverſa parte Decalogi præceptum quo ſculptilia damnantur. Idque in opprobrium Chriſtianorum à Judæis factum arbitror: quos eo nomine male habere *Steuchus* auctor eſt, quòd cum cornibus Moyſen Chriſtiani depingant.

Et revera cornua capiti ejus hæſiſſe firmiter aliquibus perſuaſum, ut legĩ per eum latæ major accederet auctoritas, quod apud *Hen. Salmuth* Not. ad *Panciroli* Deperdita reperias.

Alii de concinnis Moyſis capillis hæc cornua explicant. Crinium quippe artificium cornu appellat *Juvenalis*:

*Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam*
*Cæſariem, & madido torquentis cornua cirro?*

Et alibi — *cornua crinum*
*Plexus in acutum intorti.*

non diſſentiente *Cælio Rhodigino* l. 30.

Lect. Ant. cap. 1. *ſcribunt nonnulli ex Grammaticis Græcis cornua item pro capillis poſita inveniri, quia utraque eodem enaſcantur modo.* Tale crinium artificium novæ nuptæ Venetæ geſtant, & de omnibus Arabiæ felicis incolis refert *Ludovicus Varthema* in Urbis Reami deſcriptione, cornua ex capillis more ſolenni portare. Quam conceptam de Moyſe opinionem in ærea ejuſdem ſtatua magnifico opere Melitæ in templo Cathedrali D. Joannis 1550. erecta Galli ſequuti ſunt inflexis crinibus egregie cornua æmulantes, ut teſtes mecum eſſe poſſunt itineris comites D. *Joannes van Horn*, & *Theodorus Fuiren* conſobrinus. Sed has de Moyſe conjecturas ſacer textus preſſius inſpectus, & meliores interpretes de facili difflant. Sine cornibus enim fuit Legiſlator, quæ ſi authoritatis gratia accepiſſet, fruſtra velamine abſcondidiſſet illis, quibus monſtranda fuerant, parumque modeſtè Jehovæ remoto velo oſtentaſſet. Crinium autem forma quæ fuerit, cum Scriptu-

ri

ra & nos tacere convenit. Profectò Cornua Moyſi aſſignata, nihil præter ſplendidiores radios, denotabant. Quippe apud Hebræorum gentem Cornu & Radius pari paſſu ambulant, quod Interpretes ſeduxit. Nam קרן per זהר *ſplenduit* exponunt, & *Rabbi Kimchi* idem verbi קרן à cornu derivat, R. *Salomon* verò per radios explicans vocat קרני ההוד cornua magnificentiæ. Quos forſan imitaturi Latini modò cornutis luminoſa, modo luminibus cornuta denotarunt. Lunam enim cornibus finxerunt, & verſa vice. *Claudianus* l. 1. de Rapt. de Vitula:

*— pedibus quæ nondum proterit arva,*
*Nec nova lunata curvavit germina frontis.*

Unde ſplendoris vocem cornubus applicat cervinis *Calphurnius* Ecl. 6.

*— micat acre caput.*

R. *Salomoni* concors eſt *Chaldæa* verſio, quæ gloriam vocat faciei; ad aliorum Scripturæ locorum exemplum. Alibi enim קרן gloriam notat & decus quod ex luce eluceſcit. Ita Job XVI, 16. dicitur:

citur: ועללתי בעפר קרני *Saccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere gloriam meam* Ubi *Andræas Oſiander* cornu tranſtulit, & B. *Hieronymus* carnem, qua mente equidem ignoro, qui alioquin quaternis *Pſalmographi* locis rectè קרן cornu reddiderat. Explicant verò hanc lucem cornutam Rabbini, inprimis idem *Salomon*, quòd radii in cornu modum reflexi ex facie legiferi micuerint, ſicut & ſolares radii cornua videntur vibrare. De qua ſplendentis faciei luce quum data induſtria pluribus *Lib.* 1. de Luce Animantium cap. 14. egerimus, temporis parci illuc Lectorem remittimus: inprimis ad ſecundam editionem Hafniæ procuratam, uti & ad Miſcellanea Medica de *Morbis Biblicis*, ubi varia ad hanc rem ſpectantia attulimus.

CAP. IV.

## CAP. IV.

*Cornua an monſtra, vel ægritudines. Vitium ex Digeſtis. Præſagium ex cornubus. Cornutorum curatio triplex. Cur homini denegata cornua. Minadoo ſuccurritur in materia dentium; & de eiſdem verus Ariſtotelis ſenſus.*

AD vera humani generis cornua gradum referens, an ea variantis naturæ luſibus monſtrisve annumeranda ſint, an in numero morborum habenda, brevibus diſquiram. *Scaliger* Pater Excerc. 199. ſect. 5. in homine non monſtrum, ſed ægritudinem appellat. *Theodoricus* & *Lanfrancus* inter capitis affectus quoque adnumerant cum Teſtudine ſive Talpa. Cum *Theodorico* & *Lanfranco* facit & *Caſp. Hofmannus*, magnum Germaniæ lumen, qui cap. 6. §. 1. Pathol. parvæ, morbis in Numero eadem cum verrucis, clavis & poris ſerie cornua quibuſdam adnata recenſet. *Ingraſſias* denique p. 15. ſecundæ ſatyriſmi ſpeciei accenſet. Ego & monſtrum eſſe, & morbum indubiè credo.

Monſtrum quidem: quia cornua quadrupedum generi tantum propria ſunt apud *Plinium* Lib. 11. c. 37. Actæonem enim & Cippum is etiam in Latina hiſtoria fabuloſos retur. Ad hæc ordinaria naturæ lege carent, quæ ad omnes pari jure extenditur. Inter morboſas affectiones eo nomine collocanda, quod & numero naturales excedant partes, & ſubinde à conſueto cornuum loco devient, medentiſque curationem ad ſe trahant. Quia tamen non admodum actiones lædunt, nec mortis neceſſitatem inducunt, ſed deformitatem potius elegantiſſimo hoſpitio conciliant & impedimentum, ſymptomata libentius formæ dicerem, eoque loco haberem, quo Verrucas aliaque externi corporis dedecora. Vel ſanè Vitium appellarem, quod ex *Tit.* 16. *ff. de Verb. ſign. l.* 101. §. 2. perpetuum corporis dicitur impedimentum.

Præſagium ad fatorum eventum potius & mores ſpectat. Ferini enim ſunt, & ſi

& ſi credimus divinanti *Artemidoro* l. 1. Oneir. c. 41. cornua in ſomniis habere adnata animalis violenti, ἐπάγει βιαίυς θανάτυς, ut plurimum decollationem, quæ his animantibus ſolet evenire. Unde forſan Boves in ſomno videre malum portendit apud *Aſtrampſychum* in Jambicis. Quamquam ex arietis cornubus in capite per quietem enatis dignitatem & pugnam adverſus hoſtes auguretur c. 242. *Achmetes F. Setrim* ex Bibliotheca Regia à *Rigaltio* editus. Adeò hæc nihil niſi ſomnia.

In Cornuum Curatione omninò ad inſertionis modum attendendum. Nam ſi ex cute interiori tantum connexione emergant, faciliorem manum experiuntur; ſin cranio arcta connexione jungantur, majoris negocii res erit; ſi denique ex cranio & medullari cerebri ſubſtantia componantur, curationis pœnam morte luunt, ut *Amatus* Cent. 1. Cur. 51. advertit. Reſpicienda quoque cornuum diverſitas. Leviora enim mite auxilium, duriora gravem medentis-

manum poſtulant, ſi eam partis læſæ conditio admitt t.

In levioribus ex cute adimendis conſilio *Abenzoaris* inſiſtas, qui cornu in dorſo enatum craſſa vacuantibus pharmacis & emplaſtris diſſolventibus ipſe ſibi ademit. Superficiem cranii quæ tangunt, manu partim, partim ferro demetantur. *Matthæus Bergomas* puellæ Mediolanenſis corniculum quum ſerra fruſtra ſæpius reſecaſſet, recreſcente alio, vi manu radicitus avulſit, fœminamque priſtino decori reſtituit. Ferri uſum quivis viderit, quem ignis ſequitur neceſſitas. Quippe apud *Caprolum*, ex radice abſciſſo cornu ſanguis tam copioſè effluxit, ut cauterium actuale applicare neceſſum fuerit. Quod quum apud *Zacutum* lib. 2. Obſ. 179. neglexerit quidam, mirum non ſit elapſis ſex menſibus durius cornu, craſſius & aculeis acutiſſimis ſeptum denuò ſurrexiſſe. Id artificii ſolita prudentia in moniali poſt ſectionem adhibuit *Veſlingius*, quumque chalcanthi ſpiritu

pro-

prohibere non poſſet quin denuo radiculæ pullularent, admoto igne ſubito & dolorem compeſcuit & reliquias penitus eradicavit, ut præter cicatricem amplius advertamus nihil. Quòd ſi duplex hoc remedii genus ſubterfugiant delicatiores, ignitam ſerram levi manu per partem eminentem inducerem, vel ſine ferri horrendo aſpectu ignem per fomitem filorum accenderem, quo gummata, verrucas, & ſcirrhoſos tumores perſanatos apud *Severinum* conſpexi. Continuata demum cranio cornua palliare præſtat, quàm audaciori conatu ferro vitam reſecare. Et hæc de morbis.

Cæterum quare cornuum eminentias perfectiſſimo homini provida natura inviderit, non una ratio occurrit. Primò enim & ingenio & arte ad occurrentium injuriarum vim depellendam inſtructus cornubus in tutelam non indiguit. Tantoque minus humanæ ſpeciei conveniunt, quanto majori & impedimento & deformitate turparent.

Preſſius tamen ex materiæ defectu pro homine pugnabimus. Cornuum enim terrena materia, & corpulenta ab *Ariſtotele* l. 3. de Part. c. 2. inducitur, qua grandiora abundant animalia. Homo autem divinioris originis ſubtili ſpirituum mixtura corporis craſſitiem vel vincit vel temperat, & copiam, ſi qua ſit, in dentes abſumit, quorum cum cornibus, ex *Ariſtotelis* placito l. 3. de Hiſt. c. 9. eadem materia. Hunc optimo jure duplici ratione impugnat *Minadous* l. 1. Exter. Turpit. c. 12. quia diverſa utriuſque ſit ſubſtantiæ conditio nec dentium defectus in cornibus compenſetur. Promoveo *Minadoi* inceptum, quia cornua nec partes ſint, ut dentes, nec vero nutritionis modo augentur. Unde quod ex dentibus deſumpſi argumentum, pilis verius applicatur. Tandem cornuum concretionem & cranii denſitas impedit, & venarum capitis exilitas. Illa quidem fuligines transmittit, ſed nec craſſiores, nec in cumulum glomeratos, hæc verò ob angu-

anguſtos ductus copioſius effundi materiam craſſam non ſinit. Ex quibus cornutorum hominum exſurgit differentia & cornuum ratio. Vel enim fæculenta materia abundant & frigidiori, vel cranium tenuius deductum vel rarior dentium compages craſſioris excrementi pluſculum ad caput transmittit. Enimverò quod tradit *Philoſophus* l. 3. Part. c. 2. Cornigerorum nullum utrinque dentatum eſſe, non de dentium ordine qui etiam cornigeris duplex, ſed de ordinis utriuſque raritate intelligendum exiſtimo, quam in cornutis illis ſupradictis inde imaginor, quod vitam brevi filo terminarint.

## CAP. V.

*De cauſa Cornuum ab Ariſtotele & Æliano diſſenſus. Nova auctoris de cornuum materia opinio. Deſeritur Ingraſſias. Cornuum ex imaginatione origo, & generationis modus.*

HUmanorum jam cornuum, quæ pro veris haberi poſſunt, origi-

nem propius contemplabimur. Materiam ex alimenti reliquiis pilis unguibuſque communem *Ariſtoteles*. l. 2. de generat. animal. cap. 6. ſanguinem autem copioſum venarum turgentium *Ælianus* 12. de Animal. c. 20. invexit. Quorum uterque in remota ſubſiſtit materia, nec humoris ſive alimentaris ſive ſuperflui ſpeciem determinat. Gravius verò errat *Ælianus* quod alimentarium ſanguinem excrementitiorum cornuum materiam ſtatuerit, & quænam ſanguinis ſit pars, quæve ſpecies non explicarit. Rectius ſuperfluitatem melancholicam in Exoſtoſi nominat *Galenus* de Tumoribus: idque eo argumento, quod elephantiaſi laborantibus ad tempora eveniant. Idem ſentit & *Ingraſſias* ex atrabilario ſucco originem repetens, nonnunquam & ab exſiccata pituita, quod vel ideo applauſum meretur, quia utplurimum circa caput pituitæ ſedem appareant, in fœminis quoque & ætate extrema. Idem ab utroque humore commixto poſtea

cla-

clarius deducit. Nos verò quamquam pituitoſum glutinoſumque ſuccum primas hic partes agere credamus, omnium tamen humorum vices eſſe, glutinoſæque pituitæ modo bilem miſceri, modo ſuccum atrum ex diverſo cornuum colore concludimus: non quidem humores ipſos, ſed humorum recrementa, ſive ex vaſis ſive alendis partibus ejecta. Efficientem cauſam triplicem concipio, Calorem, Formam propriam, & Imaginationem, ſive disjuncta hæc ſint, ſive conſequentia. Imaginationem prægnantis etiam operari exemplo mulieris in Villa amœna docemur, quæ apud *Zacutum Luſitanum* referebat, ſe inter amplexus intenta mente picturam Unicornu, quæ prope erat, fuiſſe contemplatam. Cyppi quoque Regis Italiæ cornua à matris imaginatione orta judicat *Hieronymus Montuus* de adm. facult. Cent. 1. §. 6. Non enim *Petrus Meſſias* hic audiendus, qui part. 2. c. 8. Sylv. Var. Lect. à propria Cippi imaginatione à viſo bonum

cer-

certamine hæc produxit. Cornutos autem parentes eadem facie Dionyſiaca filios procreare non dubium, idque forma ſingulari, quam cornificam placet appellare. Calorem inter primaria agentia advocant alii: ego pro cauſa ſine qua cornua non producuntur, expono. Hunc propter vehementiam operationis in juncturis cornua educere ex *Avicenna Ingraſſias* ſcripſit, ob motum nempe, cujus ratione calefactæ juncturæ humorem attrahunt craſſiorem, in corpore forte abundantem; & ex attracto tenuiores partes diſcutientes in eam ſolidioris ſubſtantiæ denſitatem compingunt. Quod opus formæ arbitror à prævio calore ex parte quam cornu texerat eductæ. Rationem generationis cornuum optimè explicavit *Ingraſſias*, cui licet de juncturis ſolum ſit ſermo, inde tamen de reliquis cornibus fiet judicium. Hæc autem ejus ſunt verba Lib. de Tum. mihi pag. 336. *Sunt inſtar cornuum in ſummo acutiores, quia tenuiores ſeu minus craſſæ partes ad ſuperiora magis*

*gis elevantur, nec ea pars adeo multum nutritur, in baſi verò latiores, quia craſſiores partes ſubſident, & nutritur viciniori. Summa verò extremitas deficiente eouſque humoris penetratione gracileſcit, magiſque tamen interea dureſcit, ac ferè in lapidem convertitur, ob ſiccitatem quoque quaſi convulſionem quandam paſſa recurvatur.*

---

## CAP. VI.

*Impropria Unicornua. Cornuum durities. Cornus. Cornorum. Unicornuorum.*

QUod Capitis quaſdam prominentias Inſecta & Volatilia à majoribus, nominis ſimilitudine, pro cornibus ſibi apud Autores adaptarint, magna factum ingeniorum libertate arbitror. Cornuum enim proprietas in duritie certa conſiſtit, quam in inferioribus viventium generibus fruſtra exſpectamus. Dura quippe cornu aſſimularunt vett. quanquam obſcena mente, ut apud *Ovid.*

*Et tumidum cornu durius inguen erat.*

Et

Et *Cæl. Aurel.* lib. 5. c. 9. Chron. tentionem autem fuiſſe veretri nimiam ut cornu putaretur. Ut inde etiam cornu fortitudinem compararint antiqui ſapientes. Et ſicca quæque eodem nomine inſigniverunt. Apud *Catullum* Car. 23.

*At qui corpora ſicciora cornu,*

*Aut ſi quid magis aridum eſt, habetis.*

Deeſt ipſis quoque finis cujus gratia protruduntur, quem ob imperfectam cornuum ſtructuram non aſſequuntur. Gerunt enim, teſte *Ariſtotele* lib. 3. de Part. Anim. cap. 2. quæ animal pariunt, cornua ad vim aut inferendam aut depellendam: quod nulli ex cæteris, quæ cornua habere dicuntur, contingit: nullum enim utitur cornibus, vel ad convincendum vel ad defendendum, quæ virium ſunt officia. Additur ex *eodem* Lib. 2. de Hiſt. An. cap. 1. alia ratio, quod biſulca magna ex parte per naturam eſſe debeant quæ cornua gerunt, qualia nec volatilia ſunt nec reptilia. Quid quod ſoli quadrupedum

generi

generi cornua arctet Magnus Naturæ auctor *Plinius* Lib. 11. cap. 37. cujus hoc oraculum: *Cornua quidem multis & aquatilium & marinorum & ſerpentium variis data ſunt modis: ſed quæ jure cornua intelligantur quadrupedum tantum generi.* Unde omnino ad inſtitutum hoc *Ariſtoteles* Lib. 2. de Hiſtoria: *Quæ cornuta ſunt, eadem omnino quadrupeda eſſe certum eſt; niſi quod per tranſlationem cornu habere dicatur: quemadmodum Ægyptii de colubris Thebanis perhibent, quaſi aliquid illis veluti veſtigium cornus extuberet.* Placuit hic Interpreti *Theodoro Gazæ* maſculo genere & ſignificatu cornu efferre ex antiquo more, quem notavit *Priſcianus* Lib. 6. Grammatices, ſequunturque melioris notæ Scriptores, *Lucanus* Lib. 7. Pharſal. *Plinius* Major l. 20. c. 9. & 11. *Solinus* Polyhiſtor cap. 27: circa extimum Syrtium cornum Berenicen civitatem alluit Lethon. *Plinius* denique Medicus, Valerianus eruditis dictus, Lib. 2. c. 21: *Cornus cervinus potui datus adverſus lumbricos & tineas*

*ma-*

*magnum auxilium præſtat.* Unde *Scribonio* forſan Compoſ. 60. generis plurium caſus natus, Cornorum, pro quo alii cornuum dicerent. Nec multum abludit antiqua Bibliorum *Verſio* in *Vaticana* Bibliotheca *Breviariis* hac in parte conſona, quæ Unicornuorum vocem inflectit. Cæterum ne quid operis perfectioni deſit, minutas illas Unicornium ſpecies perſequar.

## CAP. VII.

*Diverſæ Avium Monocerotum ſpecies. Aldrovandus non ſine Wormii elogio corrigitur.*

AVes ordine primo collocantur, quas in Æthiopia Unicornes inveniri prodidit *Ælianus* Lib. 17. de Hiſt. Anim. cap 10. Cui contrarius videtur Ariſtoteles Lib. 3. Hiſt. cap. 9. quum ungues, ungulas, cornua & roſtrum ejuſdem materiæ aſſerit, adeoque nullum in uno animalium junctim reperiri. Aves autem roſtratæ cornu ab-

abſumpſerunt cauſas, & ſine cornu roſtro ſe tuentur. Sed vocem cornu ampliori notione circumſcripſit *Ælianus* pro quavis eminentia cornu æmula, quo ſignificatu & nos capimus in præſenti negotio, qui avium propria cornua eſſe nulla, ſed apophyſes mox oſtendemus. Cum *Æliano* facit *Andreas Marinus* in Libell. Ital. de Unicornu: ſed quænam illæ ſint, quarum meminit Ælianus juxta mecum ignorat. Gallinas eas eſſe initio arbitrabar, de quibus *Scaliger* Excerc. 231. num. 5. *Inſula Catigan, quæ eſt in mari Sur, aves fert gallinæ magnitudine cornutas.* Rerum autem naturalium ævo noſtro parens D. D. *Olaus Wormius*, Patriæ noſtræ lumen, de illa Ave interpretatur, quam Indi Topau vocant, alii Rhinoceroten, cujus ideam ex transmiſſis picturis expreſſit *Ulyſſes Aldrovandus* Lib. 12. Ornithol. cap. 20. Sed malè. Accuratius hic lectoribus ſiſto, ut id ad vivum ex ipſo cranio quod in muſæo ſuo ſervat, delinea-

lineatum mihi miſit idem *Wormius*, cui à mercatoribus Danicis ex India Orientali reverſis hoc cranium oblatum fuit. Apparere autem monet illud quod Cornu vocamus, propriè cornu non eſſe, ſed molliorem apophyſin quandam in cornu formam à natura effictam. In muſeo Academiæ Hafnienſis publico ſimilia roſtra ſuſpenſa monſtrantur.

Roſtrum ſingularis eſt elegantiæ & coloribus variegatum, luteo, albicante, purpureo & nigro ſpectabile, magnitudine inſigne, utpote quod pedem Romanum longitudine attingit, latitudine Uncias quinque. Cujus fuſiorem deſcriptionem ex Hiſtoria *Wormiani Muſæi* inſtructiſſimi ipſe hauriat Lector. An hæc illa avis Rhinoceros ſit quæ in ipſo volatu occiſa dicitur, quum Turcam navali prælio ſuperabant Chriſtiani, divinandi libertas cuivis ſit. Eam verò his coloribus depingit *Joannes Jonſtonus* Thaumat. Claſs. ſexta cap. 25. *Caput duorum propemodum dodrantum cir-*

*ris*



*ris ornatum nigris, altis, deorſum ſpectantibus. Roſtrum propemodum dodrantes longum, recurvum, inſtar arcus cujuſpiam. Cornu è fronte enaſcitur, & ſupinæ roſtri parti adhæret magnæ molis, nam prope frontem palmum unum latum eſt.*

Cornutarum avium exempla vix alia leguntur, niſi quæ gallorum caſtratorum ætas ſuppeditat in capite ſubinde cornu, vel huic quid ſimilimum protrudens. Gallos Unicornes & bicornes Patavij vidimus & Venetiis, etiam ut ferebatur cornutis parentibus editos, à quibus tamen fallaciæ non aberat ſuſpicio. Solent enim frequenter mulierculæ noſtrates & veteratores alii calcaria gallorum radicitus evulſa in radices criſtarum ſcarificatas ligatura inſerere, donec cornu inſtar coaleſcant. Quæ imago quædam villicæ inſitionis & curtorum reparationis dici poteſt. Genus hoc ſpectaculi ſplendida *D. Tiberii Caraffæ* Biſidiani Principis, nobilitate generis & Rerum naturalium amore commendatiſſimi, aula Neapoli exhibet.

Sed

Sed longius ab arte aberat gallina *Michaëlis Mercati*, quam in horto Pontificis Belvedere Romæ aluit, colore nigro, magnitudine gallinæ Æthiopicæ, cornu unico vice criſtæ in capite duritiei oſſeæ conſpicuam, ut αὐτόπτης *Ardens Etereus* in theſ. gemm. c. 53. tradit. Quam cornu ideam pendula gallinarum Indicarum proboſcis imitatur, Conſtantinopoli non ita pridem advectarum, quas falſò Meleagrides veterum cenſent nonnulli, quum veras Meleagrides apud *Marium Schipanum* redivivum Campaniæ Hippocratem Parthenope videre licuerit.

Cornu autem appellationem non mereri Caponum cornu perſuadet *Ariſtoteles*, qui l. 9. hiſt. c. 50. cervis caſtratis negat cornua germinare. Sine dubio ob caloris maſculi defectum, quo craſſior frigidiorque materia deſtituta, nec extrema petit, nec in ſolidiorem formam compingitur. Quin tamen in caponibus ætatis progreſſu ſimile quid pullulet, nihil vetat, partim aucta ſeminali

materia craſſiori, partim excitato calore antea ſuppreſſo, qui etiam ad pedes ungulata cornua calcariaque condenſat, quò per naturæ ſuæ pondus vergunt. Si vera de Baſiliſco fama ex ovo galli ſenioris excluſo, poterat indurata longiori ætate materia ad ſubſtantiam corneam à patre transferri, & in caput Baſiliſci exſurgere, quod galli calcaneo hæſerat. Ea metamorphoſis quanquam minus uſitata ſit, Baſiliſcum tamen unico in fronte cornu conſpicuum Roma gentium naturæque Mater non ita pridem ea ſpecie tulit, quam mihi pictor exhibuit.

Volantem Draconem ſuis coloribus depingit *Petr. Bellonius* l. 2. c. 70. ex Arabia in Ægyptum beneficio alarum delatum, ſed caput nullo cornu aſperum apparuit, niſi in ſceleto quod Cardinali Eminentiſſimo *Franciſco Barberino* donavit *Ludovicus* XIII. Galliarum *Rex*, cujus iconem ex Muſæo *Thobiæ Aldini*, hanc damus.

Illi parum abſimilis eſt alter minor ex

India



India Orientali à Patre quodam Societatis Jeſu ad *Fr. Corvinum* Canonicum Romanum planè curioſum allatus, niſi quod ambiguæ naturæ terras mareq̄ue pro lubitu legat, licet in aquis ſæpius verſetur umbilicato ventre & aptis pedibus adjutus. Hujus æmulam figuram non rarò impoſtores arte effingunt. Pro vero Monſpelii ejus generis alius mihi fratrique amantiſſimo *Caſp. Bartholino* monſtrabatur.

---

## CAP. VIII.

### *Scarabæi Monocerotis Hiſtoria, ejuſque ex Mexicano Autore uſus novus.*

INferioris claſſis Unicornu ſpeciem Inſectum conſtituit volatile, quod Scarabæum appellare auſim. Cornutos Scarabæos duplici eminentia Cervos volantes vocant Galli, ac Belgæ, Germani *Schröter*, quorum cornua chelas potius dicendas arbitratur ſubtilis *Scaliger* Excerc. 194. numero 2. quia harum uſus, ut Cancris, ſit brachiorum, con-

tra

tra ac id volebat *Plinius* l. 11. cap. 28. de Scarabæis : His negatus aculeus. Sed in quodam genere eorum grandi cornua prælonga , biſulcis dentata forcipibus in cacumine cum libuit ad morſum coeuntibus. Unicornis verò tanto cenſetur rarior , quanto apud Auctores noſtros magis ignoratur. Frequens tamen in Illyricis volat, & A. C. 1643. me præſente , in Italia , ſuperiorique in hortis Patriæ noſtræ quotidianum monuit me nunquam ſatis laudandus *Wormius* , ut ob rei viſæ memoriam aliquot in ſeleсtiſſima Technicotheca ſua repoſuerit. In Campania Salernum inter & Neapolim peregrinantibus nobis occurrit ea facie , qua depinximus. Unicornem vocavi præter Doctiſſimorum *Aldrovandi* & *Imperati* ſententiam , quibus nomine Rhinocerotis rectius fortaſſe venit depictus , licet inſectis nares minus propriè aſſignentur , & huic Scarabæo Cornu à toto capite ortum videatur , quod radicis amplitudinem ſuperat. Iconem accuratè expreſsit *Ferran-*

*tes Imperatus* in calce Muſæi Neapolitani, nos verò quam hic ob oculos ſiſtimus, Conſobrino fraternis nominibus amando *Thomæ Fuirenio* referimus acceptum.



Magnitudine, ut videtur, amygdalam excedit, exiguo capite & acuto. Cornu recta inflexum, cui parvi ſubjacent oculi, pro corpuſculi tamen exilitate magnum, radice arctius caput complectitur, à quo in acumen, latius quam craſſum, exſurgit. Binæ in dorſo eminentiæ reliquo corpore communi radice ſuper-

perſtantes, à quibus ad cornu veluti equitantis ſella glabro ductu & proclivi exporrigitur. Has alæ totidem excipiunt, reliquum dorſi & caudæ accurato flexu claudentes, ſed ad volandum, ut teſtatur *Imperatus*, pigriores. Interiori parte triplicem utrimque pedum ordinem monſtrat duabus articulationibus diſtinctum, & pilis ſubtilibus refertum, continuantur à ſecundo pedum pari ad extremam partem juncturæ octo per transverſum excurrentes, quarum primæ duæ & extrema latiores, pilis verò omnes hirſutæ præter ultimam. Color caſtaneum imitatur, in alis clarior & juncturis, obſcurior in dorſo, capite & ex eo profluente Cornu, tota vero corporis compages naturæ ſingulare artificium æmulatur.

Quis hujus Unicornis ſit uſus, à nullo adhuc memoriæ proditum. Colligere tamen aliquid licet ex Hiſtoria Mexicana, quam ex Autographo Auctoris in Bibliotheca Eſcuriali deſcribendam curavit Eques genere, & Virtute maxi-

mus *Caſſianus à Puteo*, *Joannis Euſebii Nierenbergii* Scholiis poſtea illuſtratam. In ea quippe hiſtoria cap. 21. Inſect. Veneri prodeſſe cornua Scarabæi dicuntur: *Reperiuntur*, ait, *apud Novam Hiſpaniam plura Scarabæorum genera, quorum deraſa devorataque ex Aqua Cornua Venerem dicuntur mirum in modum excitare.* Alios tamen in uſus cornua Cervi volantis trahuntur, ad ſpaſmum nempe, teſte *Baccio*. Rhinocerotis inſecti aliud genus, depictum ex Galliis, Magno Viro *Olao Wormio* transmiſit Nobiliſſ. *Petr. Chariſius*, cornu oſtendens in extremitate bifidum & in dorſo gibberum valdè eminentem bifidum quoque. A nemine depictum videtur animal, magnitudine & reliquis lineamentis cum eo convenire certum eſt quod propoſuimus.

## CAP. IX.

*Cornutum Cardani inſectum. Bucampe depingitur.* Bū *augendi particula. Cur ea in cauda cornu gerat, in capite alia. Monocerotes Viperæ & Rhinocerotes.*

TAndem Unicornua reptilia inter ignobiliora reponuntur laxa vocis notione. In cenſu horum ſunt Serpentes & vermes alii. Serpentium cornutorum hiſtoriam accuratè inter reliqua pertexuerunt *Albertus Magnus* & *Ulyſſes Aldrovandus*: ad quos Lectorem, ne actum agam, remitto. Unicornuum inſectorum quædam genera ab illis omiſſa ſtricto ſtylo afferam. Ex Subtilitatibus nota *Cardani* obſervatio, è ſolani foliis vermem viridem & croceo colore diſtinctum prodire, cornu in fronte gerentem digiti longitudine croceum, ſive is à putredine oriatur, ut *Cardanus* credidit, ſive ex rore & Sole, ut *Scaliger*, ſive denique ex latente unicornis vermis ſeminio generetur, ut ex principiis ejuſdem & *Danielis Sennerti*

 arbi-

arbitramur, hujus loci non eſt, nec inſtituti. Singularis huc ſpectat Erucæ ſpecies, quam Βȣκάμπην κερασίτην, Bucampen Cornutam appellat Naturæ Conſultus *Fabius Columna* cap. 20. Obſervationum Aquat. & Terreſtr. Mihi Unicornem eſſe eique optimè annumerari poſſe, non abſque conjectura viſum; quanquam neque cornuta dici mereatur, ſi rem cum Ariſtotele ex æquo penſemus. Κάμπη autem Latina conſuetudine *Eruca* dicitur, olera herbaſque uſuales depaſcens, quam duobus cornibus inſignem horti noſtri ſæpius ſuo malo experiuntur. Reliquas autem magnitudine exſuperat hæc Columniana, unde & Βȣκάμπην vocavit *Auctor*, addito Βȣ, ſolita augendi particula, ex Græco mutilata. Qua mente βȣφάγος edax in *Græcis Epigrammatis* vocatur, & ab *Heſychio* in Lexico per Βȣ́βρωσιν voracitas notatur, unde Bulimum excedentem edendi appetitum à Βȣ augendi particula & λιμὸς derivavit Serapion poſt S. Feſtum, ſimilique licentia cele-

lebri Junonem epitheto Poëtarum primus *Homerus* proſequitur, ut βοῶπις ſeu bovinis oculis magniſyé ſit, quos in pulchritudinis argumentum trahebant antiqui formarum ſpectatores. Harum Unicornium Erucarum numerum prope Cirinolam Septembri menſe per inculta loca & ſemitas ubique maximum repſiſſe ſuo tempore teſtatur laudatus *Columna*, qui in deſcribendo colore illarum & ſtructura operoſus pariter eſt & accuratus. Nos eum tantùm de Cornu iſto audiamus, quod ab antiquiorum nullo deſcriptum fuit: *Craſſius eſt corpus in poſterioribus decreſcens paulatim ad caput uſque, ut circa illud dimidia ſit proportione, quod durum, læve, conchulæ convexam partem effigie atque nigris lineis, quibus veluti ſtriis depingitur, repræſentans. Cornu ſupra anum ſemiunciali longitudine, recurvum, nigrum, durum, cornea ſubſtantia, læve atque acutum, ſed innocuum: moleſtiam cum attuliſſemus animali, atque etiam ligno cornu elato, nihil illo ad defenſam utebatur, nec movebat, ſed corpore*

*toto à capite nunc dextra, nunc ſiniſtra repente torquebatur, atque ore quod durum eſt, mordere, atque rodere Aſphodeli caulem ſiccum quo infeſtabamus, videbatur, &c.* In qua Cornu delineatione, & ſitus & durities peculiaris obſervationem merentur. Hac enim à reliquis repentibus diſtinguitur cornu molle ad reliqui corpuſculi flacciditatem gerentibus, illo verò ab univerſa Cornutorum familia diſcrepat, quæ in fronte inimicitias has gerit, ut in erecto quovis probat *Ennius*. Rectè enim Natura in aliis per cornu capita diſtinxit, quia imbecillima pars hac qualicumque tutela indiget, quod perſpicacior ingenio *Ariſtoteles* advertit lib. 3. de Part. cap. 2. Rectè capiti cornua mandavit, nec, ut Æſopi Momus vitio dat, quod taurus non in armis cornua gerat, unde ferire vehementius poſſit, ſed capite corporis parte imbecillima, non enim ingenio perſpicaci ille Momus hæc deprehendit. Ut enim ſi in alia quavis parte cornua haberentur, fruſtra ponderi eſſent, nulla in

in re utilia, multa etiam officia impedirent. Addit ex commoditate aliud argumentum Philoſophus: quum careant manibus, & nec pedibus imis affixa gerere poſſint neque genibus (flexus enim impediretur) capite gerant neceſſe eſt, quemadmodum à Natura conſtitutum eſt, quin etiam ad cæteras corporis motiones, ita maximè geri ſine ullo impedimento poſſunt. Quæcunque autem de pedibus & genubus dicuntur, de cauda debent quoque explicari, quæ ad cornu gerendum minus apta cenſetur, quia à capite remotior certos ictus non vibrat. De Inſectis tamen flexile quaqua verſum corpus pro arbitrio totum moventibus imbecillior fortaſſis foret Ariſtotelis ratio. Figuram Unicornis Erucæ infra exhibebo, in qua omiſit *Columna* variam ordinatamque macularum diverſarum ſeriem per internodia conſpicuam, ut harum Erucarum frequentior in horto ſuo ſpectator *Carolus Avantius Rhodiginus* Medicæ rei & Naturæ Doctiſſimus monuit, quam

ideo poſt Columnam auctius expreſſi.

Cornu ad anum in Inſecto relegatum à Natura ea potiſſimum de cauſa imaginor, quod caput aliis munimentis tectum & tutum cornuum ope non indigeat, ſuique defenſionem ore duro tentet, unde excrementi craſſioris ſuperfluam vim non pro auxilio ad caput, ſed pro expurgatione corpuſculi ad ani extremas partes amandavit, quæ recipiendo cornu ſua magnitudine, ut in icone apparet, donatæ, pondus hoc facilius ſuſtinent. Oneri quidem videntur eſſe, & animalis motum impedire, ſed id data operâ molita eſt Natura, ut velocitatis modum hoc pacto temperaret iis, quibus motus celeritas minus neceſſaria, quadrupedibus contra ad anteriora congeſſit duriorem cornuum ſubſtantiam, ut neceſſarium curſum velut inclinato pondere promoveret.

Monocerotes verò Viperas & aſpides pauci attigerunt quod vix oculos curioſorum ſubierint. Viperarum tamen Unicornium duplex genus inveſtigavi,

Rhi-



Rhinocerotis pariter & Monocerotis. Rhinocerotes noctis colore formidandas, quas Mamelikias ſive regias vulgus Ægyptium nuncupat, teterrimo veneno præditas apud circumforaneos Cahiri aliquoties conſpexit *Joan. Veslingius*, quibus Cleopatram uſam fuiſſe memorabant. Earum unam argenteis purpureiſque maculis inſignem inter icones rariorum plantarum Illuſtriſſimi *Nicolai Contareni* Senatoris Veneti & Mœcenatis Literatorum ſummi expreſſam vidi, in quo evidenti ſenſu ex naribus cornu, Rhinocerotis in ſpeciem, exit. Ejus & Bucampis typus pagina præcedenti videre eſt.

In media fronte quæ cornu gerunt unicum, ad Monocerotes reduxi. Quales in montibus Iſtriæ copioſiores ſerpunt, exindeque nuperis annis Patavium ad *Carolum Avantium* miſerat ipſius Frater, qui ut genus hoc rarum latius diſſeminaret Euganeis collibus plurimas velut in campum cognati generis explicavit ab illo temporis momento amplius non viſas, aut obſervatas.

Per-

Pertinent ad hanc claſſem locuſtæ volatiles, *Cavaletti* dictæ Italis, quæ A. 1542. Patavinos agros inundarunt eo numero, ut ſolem meridianum obnubilarint. Frons duobus cornibus hirſutis prominebat, ex roſtro verò aliud in cochleas flexum, caudæ Chamæleontis inſtar, protendebatur. Harum ducem in ampliſſimo S. Juſtinæ cœnobio ad triclinium propè hortos Patavii effigiatum luſtravimus.

## CAP. X.

*Orygis Etymon: qui Unicornis Ariſtoteli. Non eſſe Gazellam, nec Cervum, ſed Capram contra magnos Viros probatur. Subulonum Plinii varia interpretatio. Tibicen ſubulo, & alia.*

NOmen Orygis Græcorum debetur origini, ut infinita alia quæ Arabicis juncta ſcientiarum noſtrarum terminos conficiunt, & vel à fodiendo traxit appellationem, vel ab inſtrumento foſſorio, cui ſimile ſit Orygis cornu. A fodiendo quidem ὄρυξ dictus, quia

quia ſive ad requiem, ſive nequitiam, ſæpius ſuum inſtar eruit terram, non capite, aut ore, nec cornu, ſed pedibus, oculos, ne orientem Lunam vel Solem intueatur, nigriori facie obruturus.

Cujus teſtis & enarrator *Horus Apollo* in Hieroglyphico τῆς Ἀκαθαρσίας· τοῖς δὲ ἐμπροσθίοις αὐτοῦ σκέλεσιν ἀνορύσσων τὴν γῆν, ζωγραφεῖ ἑαυτοῦ τὰς κόρας· *Cruribus anterioribus effodiens terram pingit ſeu commaculat ſibi ipſi pupillas.* Ab inſtrumento foſſorio potius ita nuncupari exiſtimat Vir undiquaque Doctiſſimus idque propter acumen cornu & illi commune. *Heſychius* enim ὄρυγα exponit λαοξοικὸν σκεῦος ἢ σκαφίου εἶδος, inſtrumentum ſcilicet ferreum acutum, quo lapides primo rudimento punguntur priuſquam poliantur. A fodiendo communis videtur ortus, quo à reliquis unum cornu habentibus differt. Acumine enim reliqua ex æquo participant, quanquam Orygis cornu præ aliis ab eo tantopere apud auctores non commen-

de-

detur. Major de Animalis hujus genere eſt controverſia conjectantium diverſitate. In Unicornuum claſſem reponendum ſic ſatis conſtat ex *Ariſtotelis* locis geminis, uno 2. de Hiſt. Animal. cap. 1. *Unicornis verò, idemque δύχηλον biſulcum Oryx eſt.* Altero l. 3. de Part. cap. 2. *Sed etiam ſunt quæ cornu ſingulari armentur, ut Oryx, & quem Aſinum Indicum appellari diximus. Oryx biſulcum, Aſinus ille ſolipes eſt.* At cui animantium quadrupedum ſpeciei debeat aſſociari non addit. *Plinius* lib. 2. c. 40. feram ſine alterius ſpeciei acceſſione vocavit. Alibi tamen capris annumerat lib. 8. c. 53. quarum, teſte *Heſychio*, colorem imitatur. Gazellam aliqui pro Oryge exponunt, inter quos *Petrus Bellonius* in Obſervationibus, à *Geſnero* & *Scaligero* benè refutati. Orygum enim cornua ſingula, Gazellæ verò plura, eaque majora, modo minora, modo recta, modo leviter inflexa, qualis erat Gazella in Galliam pridem miſſa Chriſtianiſſimo Regi, cujus ideam inter

ter naturæ arcana Equitis omnium calculis maximi *Caſſiani à Puteo* Romæ luſtravimus. Melita Inſula hoc genus animalis alit, ſed nobis ibi præſentibus inviſum. In horto tamen amœniſſimo Summi Pontificis curſitantes vidi Gazellas, ſed cornibus, ob ætatem, vacuas. Ea cornua Venetiis tempore Saturnaliorum in Taurorum ſpectaculis frequentius producuntur. Et Caſellas quanquam appellent, pro Orygis tamen cornibus ad majus precium venditant. Aliis ingenio & doctrina facilè principibus ad Cervorum ſortem quamvis non ipſos cervos referri viſum ex *Plinio* lib. 11. c. 37. & *Columella* lib. 9. c. 1. quorum *ille* cornuum deſcripturus varietatem: *Nec alibi major naturæ laſcivia. Luſit animalium armis. Sparſit hæc in ramos, ut Cervorum, aliis ſimplicia tribuit, ut in eodem genere ſubulonibus ex argumento dictis. Hic* verò cum Cervis recenſet: *non minus Orygum Cervorumque genera & aprorum.* Per Subulones autem apud *Plinium* Orygem deſignari

au-

auctor eſt *Gloſſarium* vetus, quod id vocis pro Oryge accepit, quum ſcriberet: Sublones, ὄρυγες, θηεία. Et confirmant ejuſdem poteſtatis voces, quia Oryx dictus, quod ſubulæ inſtar unicum cornu gerat acutum, & verſa nominum ſignificatione ὄρυξ & ſubula, pro foſſorio uſurpantur inſtrumento. Nec aliud ex deſcriptione *Pliniana* videntur intelligere, quæ ſubulonibus, ut Orygi, ſimplicia tribuit cornua. Verum enimverò valdè ab ea opinione ingenioſiſſima retrahit Naturæ promus condus *Plinius*, qui conſtanti doctrina ad capram potius quam Cervum ſupra retulit, nec alibi niſi in loco hoc controverſo contrarium ſcripſiſſe obſervatur. Hunc firmant diligentius inter ſe collati *Horus Apollo* & *Plutarchus* de ſolertia Animalium, quorum alter Orygi, alter capræ ex mente diverſorum populorum eandem naturæ conferunt proprietatem, ut non tam videantur Libyæ gentes irriſiſſe diverſum Ægyptiorum animal, quam horum oſtentationem, qui ſibi

ſibi ſolis id generis animalis à Natura datum gloriabantur, quod etiam in Libya vulgatum eſſet. *Columella* certè non eo animi propoſito Orygem cum Cervis recenſuit, ut ejuſdem demonſtraret eſſe generis, niſi & apros quos cum illis eodem contextu proximè clauſit, dicamus cum Cervis convenire; ſed ut eadem ſerie animalium vel queſtui vel voluptati hominum dicatorum ſyllabum texeret. Unde quum ex Cervorum non ſit genere Oryx, per Subulonem à *Plinio* non fuit expreſſus, qui cornuum Cervinorum inſtituit tractationem, adeóque plurimum in ſingulis. Oryges autem vel hoc nomine ſolo à ſubulonibus differunt, quod Unicornes ſint. At nonne Subulonibus ſimplicia tribuuntur cornua, ut Orygibus? ſimplicia fateor, quia bimulorum; non ſingula. Simplicia enim ſunt illa quæ per ætatis defectum nondum in ramos ſolitos divaricantur in δικρόταις demum efflorescentes, quod ex tota Plinianæ orationis textura manifeſtum.

ſtum. Ætates enim perſequitur & incrementa cornuum, quæ in κεράσταις in ramos ſparguntur, in bimulis verò ſeu πατταλίαις ſimplicia recto ductu exſurgunt, quanquam non ſingula, ſed bina utrimque caput ornantia. Nec ex etymologia acutæ ſubulæ, Orygis perhibetur ſimilitudo. Sint licet Subulones Orygibus ſimiles forma cornuum, non inde tamen nec ad numerum nec acumen idem, par argumentum. Subulo certe de tibicine quoque uſurpatur, cui animal non tibiæ acumine, ſed forma cornuum ſimplici ſine eminentiis aſpera comparatur: de quo ſubulone tibicine velut bimulo ad fluvium modulante *Ennius* apud Feſtum cecinit:

*Subulo quondam marinas propter adſtabat aquas.*

Tibias enim in extremum deſiiſſe acumen nunquam ſcriptum legimus, niſi de Phrygio cornu tale aliquid ſit cogitandum, aliiſque incurvis, quæ ampliori parte extrema tandem quidem circa

circa os acuminabantur, diſſimili ab animalium cornuum acumine & poſitu.

Omnia vero tibiarum genera ſive rudi avena, ſive metallo, ſive denique oſſe, vel cornu conflata fuerint, externam corporis æqualitatem oſtenderunt. Ut jam ſubulonibus cornuum acumen addere præter debitum videatur, modò ſimplicia ſint bimulorum ex more, pariterque apertius conſtet Plinianos Subulones non Orygas eſſe, ſed Cervos bimulos. Cui clauſulæ firmandæ ipſum *Plinium* in ſcenam producam verborum ſuorum interpretem clariorem. *Is* ſiquidem in Cervorum familia apertè Subulones locat Lib. 28. cap. 17. *Sunt & qui fimi ſuum cinerem profuiſſe ſcripſerint in paſſo: & cervi pulmonem, maximè Subulonis, ſiccatum in fumo tritumque in vino.* Poſtea paucis interjectis de hydrope laudat remedium fimi cervini maximè ſubulonis. Subulones autem ob ætatem dicti à ſobole qui antiquis ſuboles, quoniam, teſte *Iſidoro*, ſubſtitutio

ſit

ſit generis, unde vetus in Umbria lapidis mutilati *Inſcriptio*:

| |
|---|
| I: NERVAE. F. NERVAE |
| ɔ. PONTIFICI. MA |
| MP. VI. COS. V. |
| NIFICENTIAM SVAM |
| SVBOLEMQ. ITALIAE |

His viſus mihi eſt accedere *Iul. Cæſ. Scaliger* Comm. in lib. 2. hiſt. animal. t. 130: *Plinius* Subulones cervos vocat, nec ſatis explicat, ætatiſne ſit an generis diverſi nomen; *Theodorus* ætatis putat rectè.

Ad quam verò caprarum claſſem referendus ex jure ſit Oryx, ſiquidem capræ ſimilior, juxta cum ignariſsimis ignoro, niſi ſui ſit generis antiquis potiùs, quàm nobis notus.

Non poſſum quin hic loci mentionem faciam ovis cui cornu ad latus adhærebat in ſtabulo Ser. Reg. Daniæ *Frederici* III. quod pelli adnatum adhuc in Muſæo Regio conſpicitur.

## CAP. XI.

*Orygis Natale ſolum, magnitudo, color, pilus, cornu. Uſus in Citharis. Caro, in deliciis. Quare ſitim facile ferat. Emendatus Plinius errorque Niphi. Orygis pigritia.*

NAtalis locus ampliori circulo circumſcribitur, partim Africæ finibus, teſte *Plinio* lib. 10. cap. 73. ejuſque parte mediterraneâ Getuliâ, unde Getulus dictus Oryx *B. Hieronymo* & *Juvenali*; partim Ægypti, auctore eodem & *Horo Appolline*; partim Syriæ & Palæſtinæ vicinæ, ut ex *Deuteronomio* conjicio, ubi populo Dei ad comedendum conceditur, partim denique Libycis populis debetur ex *Plutarcho*. Magnitudine corporis inter alias capras eminet, ut cum bove eam *Herodotus* expendat, & *Interpres Juvenalis*: Oryx, animal minus quam bubalus: unde Bubalus per Unicornem venit in ſacris teſte *Emanuele Sà*, & Orygem *Iſ.* 51. per bovem Doctiſſimus interpretatur

Io

*Io. Deod.* quæ, niſi in ſolius magnitudinis argumentum, trahi aliorſum nequeunt. Corporis ſanè menſuram ſupra vulgares aſcendere cornu ejus monſtrat, ſi verum ſit, quod Venetiis habetur, quatuor ſpithamas longum juſtâ craſſitie. Color Orygis caprino ſimilis, ita narrante *Heſychio*, δορκάδι κατὰ τὴν χροιὰν παραπλήσιον, quod de villis quoque intelligendum ſub mento pendulis, reliqui enim ad caput contrario à Capris ſitu vertuntur. *Plinius* l. 1. c. 53. *Sunt & Oryges ſoli à quibuſdam dicti, contrario pilo veſtiti & ad caput verſo.* Quod ex eodem retulit *Georgius Alexandrinus* in Voc. Priſcis Columellæ, & *Philippus Beroaldus* Annot. ad Columell. Cornu unicum in medio frontis prominet, loco, ut in aliis, commodiori, ex conjectura *Ariſtotelis* 3. de Part c. 2: *Gerunt ſanè medio ſui capitis cornu fixum ea, quæ unum habent. Sic enim utraque maximè pars cornu obtinebit, cùm medium commune pariter utrique extremo ſit. Colore cornu nigriori eſt, totum excavatum,*

*cujus gyri circulares à radice ad medium protenduntur, cætera glabra & æqualia, ſiquidem cum Gazellæ cornu coincidit.*

Uſum cornuum Orygis ad tutelam comparatorum, ad alia tranſtulerunt ingenioſi. *Herodotus* enim l. 2. memoriæ poſterorum reliquit iis cornibus cubitos citharæ conficí ſolitos; καὶ ὄρυγες τῶν τὰ κέρεα τοῖσι φοίνιξιν οἱ πήχεες ποιεῦνται. *Oryges ſunt ex quorum cornibus citharis cubiti fiunt.* Quo pacto ex mente Illuſtris & mortalium Doctiſſimi *Claudii Salmaſii* in Solinum Commentatoris accurati locus Herodoti accipiendus contra receptam, ſed incertam aliorum expoſitionem, quum non de Phœniciſſæ populis loquatur, ſed inſtrumento muſico, cui πήχεις h. e. ἀγκῶναι ſeu cubiti ex Oryge fiebant. De cujus uſus veritate ſilentibus aliis aliud non conſtat, niſi quod nec ratione nec aliorum exemplo careat. Ratio enim ex neceſſitate ſubinde eſt, quam ſequitur, & ad ſimiles uſus cornuum firmitudo omninò deſideratur,

ubi largiorem eorum proventum largita eſt Natura. Aliàs quoque in tibiis aliorum cornua adhibita, præſertim Phrygiis, & in Citharis antiquorum vel ipſum Cornu vel Cornu quid ſimilimum pro brachiis humeriſque oſtendunt eorum monumenta. An autem Orygum fuerit, vel Boum, penes Lectores dijudicetur. Oryges Romanorum orbi rariores, ut de ijs nihil ego promittam. Figura Citharæ Cornutæ, quam ad exemplum vetuſtatis in Commentariis ſuis de Servis & de Diis Antiquis induxit *Laurentius Pignorius*, ea eſt, quam ſeq. paginâ conſpicere licet; cujus de affini materia legatur Diſſertatio, ut & quæ in Re ſimili de Inſtrumentis veterum commentati ſunt Viri ſummi *Erycius Puteanus* in Pallade modulata, *Fabius Columna* in Sambuca Lyncea, & nuperrimè *Io. Baptiſta Donus*.

Cætero corpore animal ſalubre & nutriendis hominibus aptum, inter pura Iſraelitico populo à Jehova commendatur pro familiari victu *Deuteron.* 14:



*Ne comedatis quæ immunda ſunt: hoc eſt animal, quod comedere debetis, bovem, & ovem, & capram, cervum, capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum.* Ex quo repetiiſſe videtur *D. Hieronymus* in cap. 51. Iſaiæ: *Getulus Oryx genus eſt feræ naſcentis in eremo inter munda animalia.* Delicatâ fuiſſe carne vel inde concludas, quod pro deliciis Romanorum in menſas importata ſit, ut id Satyrica ſua penna nobis concinnavit *Juvenalis*:

*Et Scythicæ volucres, & phænicopterus ingens,*
*Et Getulus Oryx.*

Non diſſentiente *L. Columella* lib. 9. c. 1. de R. R: *Feræ, pecudes, ut capreoli, damæque, non minus Orygum, cervorumque genera & aprorum: modò lautitiis, & voluptatibus Dominorum ſerviunt: modò quæſtui ac reditibus.* Unde fortunam ſuam deplorantem Orygem inducit *Martialis* lib. 13. Epig. 95.

*Matutinarum non ultima præda ferarum*
*Sævus Oryx, conſtat quot mihi morte canum.*

Ita quippe cum *Theodoro Pulmanno* legendum, ut infortunium ſuum morte perſequentium ſoletur ad menſam deſtinatus & gulam. Oleoſo enim abundaſſe humore & pinguedinem gratam carni interſperſam duplici conjectura aſſequor. Fertur quippe ſitis tolerantiſſimus. *Plinius* Lib. 10. c. 73: *Orygem perpetuò ſitientem Africa generat ex natura loci, potu carentem cum mirabili modo ad remedia. Namque Getuli latrones eo durant auxilio, repertis in corpore eorum ſaluberrimi liquoris hauſtu veſicis.* Ex longo ſitu locus, ut videtur, in mendo cubat. Ex fide manuſcripti Veneti *Paulus Manutius* ita edidit: *Orygen perpetuo ſitientia Africæ generant, & natura loci potu carentem, & mirabili modo ad remedia ſitientium. Hauſtu* verò in fine additum explodit. Quæ lectio priori & verior & clarior. Africæ enim loca ob pluviarum infrequentiam rectè ſitire dicuntur, non Oryges, qui naturæ ſingulari conditione à ſiti non vexantur, quod deſumtum ex iis contra ſitim medica-

dicamen docet, diſtinguitque eodem contextu *Plinius* Africam quæ hyeme quidem irrigatur, æſtate verò ſine pluviis torpeſcit, ab altera ejus parte quæ perpetua ſiccitate laborat, ubi ſitis patientiſſima animalia ex ſoli natura gignuntur. Unde hoc ordine textus *Plinianus* diſponendus: *Orygen perpetuò ſitientia Africæ generant, ex natura loci potu carentem cum mirabili modo ad remedia ſitientium.* Vel ita, ſi placuerit: *natura loci potum caventem*, ſi Africæ confuderimus partes, quarum aquâ, ut inſalubri, hauſtâ mures interierant, à qua propter naturæ ingenitam proprietatem ſine ſiti de facili Oryges abſtinent. Quam Naturæ Artificis mentem non aſſequutus videtur *Niphus* in Expoſit. lib. 2. Ariſt. Hiſtoriæ, quum ob Africæ ſiccitatem perpetim ſiti ardeſcere Orygem ſcriberet. Non enim à ſiti aſfligitur, quam per naturæ ſuæ principia facilè tolerat. Hinc in principiorum deveniemus cognitionem, quæ in humidiori, oleoſa tamen, ſubſtantia ſubſiſtunt,

à ſiccitate, ſitis cauſa, difficilius extergenda. Magnum ſanè naturæ privilegium, quo Camelis præferuntur ſitim quatriduo tantum tolerantibus, auctore *Plinio* Lib. 8. c. 18. & Iulio Viatori Equiti Romàno, quem idem refert lib. 7. c. 18. à longa aquæ inter cutem conſuetudine in ſenecta potu caruiſſe. Pinguedinis argumentum ex Orygis pigritia depromo, cui Orientem Solem nec Lunam aſpicere eſt volupe, fortaſſis quod in vertice Sol copioſius fundat liquorem, & ſolvat ingenitam humoris benigni pinguedinem ad ſitim perferendam inprimis neceſſariam, vel quod diſcuſſis vaporibus ſomnum interrumpat adeò corpulentioribus familiarem, & ſiti temperandæ utilem, ut inter Oracula *Hippocratis* Sect. 5. Aph. 27. admodum ſitientibus obdormiſcere pro bono ſit. Non quidem quòd per ſomnum ſitis cauſa deſcendat, ut explicat in Commento *Galenus*, humorum nempe acrimoniâ & ſeroſitate excitatâ, ſed quod os ventriculi ſive mor-

bi

bi calidioris exceſſu, ſive naturali conſtitutione exſiccatum grato humidorum appulſu irrigetur & temperetur. A metu inſoliti ſplendoris rem hanc deducit *F. Licetus* Lib. de Anul. c. 48. qui oculos ad terram dejicit. Sed nec metum Orygis ſcriptorum ullus decantat, nec inſolitum Solis Lunæque lumen, huic cum aliis commune & quotidianum. Itaque quæ de Oryge conjunxit *Horus Apollo*, ſeparatim ſunt interpretanda, non enim idem Solis Lunæque in animantibus eſt effectus, nec eadem virtutis irradiatio.

---

## CAP. XII.

*Horus defenditur. Oryx pro equo. Lunam quare averſetur.* Καθαρσία *duplex. Oryx non ſignatus. Iſis. Orygis & caprarum maligna indoles.*

EX datæ materiæ occaſione de Solis ortu ab Oryge exoſo orditur *Horus* in Hieroglyphico ἀκαθαρσίας: *Eadem verò facit & in Divini Solis ortu. Idcóque Re-*

*ges antiqui, horoſcopo ſignificante illis orientem, inſidebant huic animali* (ἐπικαθίσαντες τούτῳ τῷ ζώῳ) *in medio ejus quaſi ſignis quibuſdam orientis certitudinem ſeu punctum agnoſcentes.* Sententia huc redit, propter accuratum illum Orygis oriente Sole ſenſum vice horologii Ægyptiis Regibus fuiſſe ad inveſtigandum juſtum Solis ſurgentis momentum. Quod ut aſſequerentur felicius, ob viciniam in Oryge equitaſſe. In qua quidem lectione, etiam *MS. meo* firmata, errorem & lapſum ſcribentis corrigit Eruditiſſimus *Salmaſius.* Mavult enim his verbis τούτῳ τῷ ζώῳ affinia hæc ſubſtituere, τοῦτο τὸ ζῶον, quia non ſit probabile inſediſſe Oryges veluti equos ad deprehendendum Solis ortum, ob animalis exilitatem viro ferendo minimè parem, conſtitutum autem adverſum Solem Orientem ſine Equite multo videri veriſimilius. Καθίζειν enim conſtituere notat, non ſedere. Vel eadem manente notione legi poſſe ingenioſiſſimè judicat ἀντικαθίζαντες τούτῳ τὸ ζῶον, ut particulâ τούτῳ So-

Solem, cui obvertebatur, intellexerit. Quorum quidem ex vi vocis ſua conſtat veritas, non tamen quod ferendo oneri huic impar extiterit Oryx. De capris enim Regionis ejuſdem, Oryge longè minoribus, fide dignus narrat *Petrus Bellonius* Lib. 2. Obſ. c. 52. de Cairi Arabibus: *Varias geſticulationes multa animalia docent magna facilitate. Atque inter reliqua capras ipſas ephippium geſtare, ſubſultareque & calcibus ferire equorum inſtar docent, quibus deinde ſimias ſeſſores imponunt.* Deque alia ejuſdem doctrinæ capra, ut docet *Ianus Rutgerſius* Lib. 3. Var. Lect. c. 15., loquutus eſt *Juvenalis* Sat. 5.

*Tu ſcabie frueris mali quod in aggere rodit*
*Qui tegitur parma & galea, metuenſque flagelli*
*Diſcit ab hirſuta jaculum torquere capella.*

Cui non abſimilem ephippiatum in Helvetia vidiſſe ſe teſtatur *Caſp. Barthius* Lib. 11. Adv. cap. 5. & nos in Italia

 paſ-

paſſim apud circulatores frequenti adſtantium coronâ conſpeximus. *Artemidorus* l.2.Oneir.c.12. Bonum in ſomniis judicat ſibi videri ſuper arietes vehi ſecurè & per planos locos, præſertim Philologis, & his qui ad divitias parandas animum adjecerunt. Nam & velox eſt animal, & Mercurii figuram referre creditur. Neſcio tamen quare id bonum Philologis pronunciet, quum paucis interjectis cornua cuidam à puella deſponſata ſomniorum Interpres prædixerit, qui ſibi ſuper ariete deſidere viſus fuerat. *Achmetes* item c.242. Virum magnâ poteſtate præditum in ſervitutem ab his redigi credit. Ut citra miraculum fuerit Orygem magnitudine inſignem ſeſſores ſuſtinuiſſe. Cæterùm quodnam inde immunditiei argumentum depromat Horus, obeſior nare ſum, quàm ut olfaciam. Ex data opportunitate extra ſuſceptum propoſitum τῇ ἀκαθαρσίᾳ addidiſſe omninò ſuſpicor, quam in Lunæ ſurgentis contemptum ferè in Oryge notat Idem: Ἀκαθαρ-

σίαν δὲ γράφοντες, ὄρυγα ζωγραφοῦσιν· ἐπειδὴ ἐπ' ἀνατολὴν ἐρχομένης τῆς σελήνης, ἀτενίζων εἰς τὴν θεὸν, κραυγὴν ποιεῖται, οὐκ εὐλογῶν αὐτὴν οὐδὲ εὐφημῶν. i e. *Immunditiem verò deſcribentes Ægyptii, Orygem depingunt, quia in Ortum ſurgente Luna, fixis oculis Deam adſpiciens clamorem facit, eamque nec voto nec laude proſequitur.* Signum autem hujus manifeſtiſſimum. Anterioribus enim pedibus effodiens terram depingit ipſe ſibi pupillas. Quæ ſanè in puro animali impuritas in deſidiam & Orygis ſtultitiam verti poterat, qui ejus Deæ aſpectum fugit, cujus ſemper & grata & fauſta fuit præſentia, pleno lumine ex orbe ſuo diffuſa. Hujus enim luſtratam faciem blando puellæ viſui comparabat *Petronius* : *Delectata illa riſit tam blandum, ut videretur mihi plenum os extra nubem Luna proferre.* Et Gratiam Lunæ lucem vocavit *Iuvencus* Poëta Bucolicus L. 4.

*Amittet curſum Lunaris Gratia lucis*
*Ignicomaque ruent ſtellæ.*

Nec

Nec ea præter rem Orygis effulſit, quæ in animantium humoribus proprium exercet imperium. Ratio tamen, meo judicio, Ægyptios fugit, quod Orygis hanc qualemcunque ignaviam & ſtoliditatem pro Ἀκαθαρσίας ſymbolo expreſſerint, niſi aliud ſubſit facto myſterium. Τὰ Καθάρσια ævo Græcorum duo notabant, vel animalia quibus Athenis conciones, theatra, & populi cœtus luſtrabantur; vel ipſa luſtrationis pocula. Priorem ſignificationem tangit *Suidas* in voce Καθάρσιον, ἔθος ἦν Ἀθήνησιν, καθαίρειν τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὰ θέατρα, καὶ ὅλως, τὰς τοῦ δήμου συνόδους, μικροῖς πάνυ χοιριδίοις, ἅπερ ὠνόμαζον καθάρσια, parvis porcellis, quos καθάρσια, i. e. luſtrales vocabant. Alteram *Thomas Magiſter* (cujus Codicem habeo MS.) in συλλογῇ Ἀττικῶν ὀνομάτων in ſyllabo literæ K inducit: Καθάρσια πόματα τὰ καθάρσεως ἕνεκα πινόμενα, i. e. Καθάρσια *dicuntur potiones luſtrationis gratiæ bibitæ*. Privativa verò his præpoſita contrarium inducit ſigni-

fica-

ficatum, ut oryx inter ἀκαθάρσια (ita enim forſan apud *Horum* legendum,) h. e. animalia quibus luſtrare non poterant Ægyptii numeretur. Sed quare ἀκαθάρσιον? An propter immunditiem? Non auſim id affirmare crediſſe Ægyptios, quum purus etiam ex lege Moyſis, quam in plurimis ſequebantur, Oryx habitus ſit, & aliàs in ſacrificiis adhibitum inde puto, quòd Orygem ſacerdotes non ſignatum comederint, auctoribus *Horo Apolline* & *Herodoto*, ſignum autem annulo impreſſum à ſigillatoribus myſtis ante ſacrificium, ut poſteris tradidit *Plutarchus* l. de Iſ. & Oſirid. *Pierius*. l. 1. Hierogl. Ego id Orygis maligno animo & in Deos odio adſcripſerim, præſertim Solis Lunæque ſpretæ: quæ tamen ut majorum gentium Numina inter prima venerabantur accolæ Nili. Ea enim nomine Oſidiris & Iſidis veniebant myſticâ ratione & occultâ, aliiſque ſymbolicis figuris, quas in menſa utriuſque explicavit *Laurentius Pignorius*.

*rius*. Unde ſuper Iſidis frontem planam rotunditatem Lunæ obſervavit *Apulejus* Lib. 2. De quibus poſt Horum *Pignorius* in Menſa, *Cauſſinus* in Hier. Hori, *Gerardus Voſſius* in Orig. Idol. & *Thomas Bangius* in Antiq. Liter. Viri omnes Eruditi, conſulantur. Quanquam in ea genealogia dubium agnoſcat *Euſebius* Lib. 2. de præp. Evan. c. 1. originem ſuperſtitionis inquiſiturus: *Solem ajunt primum omnium apud Ægyptios regnaſſe. Deinde Saturnum, qui, ſorore Cybele in uxorem ductâ Oſirim & Iſim genuit, aut ut plurimi dicunt Jovem & Junonem. Iſis Junoni ſeu Lunæ ſimulachrum, ſed Oſiris Pater videtur Solis, non ipſe Sol, qui ante Saturnum Ægypti tenebat faſces. In luſtratione autem id inprimis obſervabant ſuperſtitioſi, & obſervare debebant, ut amico gratoque Diis Principibus animali litarent, Soli Lunæque, quibus Oryx offenſus ſtridore inimico & abdito vultu, eo maximè momento quo renata quaſi & ſurgentia numina orbis reliquus cum applauſu excipit.* Ut ita veram

Hori-

Hori Ægyptiorumque mentem penitiorem ex conjectura videar mihi aſſequutus. Orygis ad mala compoſitam naturam alio prodit indicio laudatus Horus, quòd non ſolum Diis è cubili ad animantium ſalutem emergentibus iraſcatur, verùm & ipſa elementa viventibus invideat, præſertim aquam in locorum ſiccorum ſolitudine auro juxta æſtimandam. Quod ſequenti ordine increpat *Ægyptius*: Κατὰ τὴν ἐρημίαν οὗ ἂν λάβηται ὑδραγωγοῦ τόπου, πιὼν, τοῖς χείλεσιν ἀναταράξας, καὶ μιγνύει τῷ ὕδατι τὴν ὕλην. τοῖς δὲ ποσὶν εἰς αὐτὸ ἐπιπέμπει κόνιν, πρὸς τὸ μηδενὶ ἑτέρῳ ζώῳ τοῦτο πότιμον ὑπάρξαι, οὕτω πονηρὰ καὶ ἀπεχθῆσα ἡ τοῦ Ὄρυγος ἐνομίσθη φύσις. h. e. *Per loca deſerta ubicunque aquæ ſcaturiginem deprehenderit, poſt potum labris conturbat, & aquæ miſcet materias inutiles, pedibus verò injicit pediculos* (vel ſi verſus poſteriora relegetur accentus, *pulverem*,) *ne ulli alii animali potabilis hæc aqua amplius ſit utilis, adeò prava & infeſta putatur Orygis natura.* Caprarum

ſanè

ſanè indoles adeò antiquis exoſa, ut mala cuiquam ominaturi in Silveſtres Capras retulerint, cujus veſtigium ex *Suida* congerit *Adagiorum ſcriptor*, conſueviſſe Vett. ſcilicet ἐπὶ τὰς κατάρας, κατ᾽ αἶγας ἀγρίας τρέπειν τὰ κακά. Quod mali canibus imprecantur *Itali*, eoq́ue ſenſu in tabula naufragii antiqua *Cæſiorum* capram expreſſam ingenioſè judicat *Petrus la Sena* cap. 8. Cleombroti, ſeu de iis qui in aquis pereunt.

---

## CAP. XIII.

*Caniculæ exortum Oryx quomodo præſentiat. Caniculæ exortus ejuſdemque effectus. Æræ Variorum. Orygis ſternutamentum unde. Cur adorare dicatur?*

UT magis occultam naturæ ſingularis proprietatem miremur, de Oryge tradunt communi conſenſu ſcriptores, vertentis anni ſtatas vices percipere, & ſignis quibuſdam, triſtitiâ nempe, clamore & ſternutamento, mortalibus prodere inſtantis Syrii ortum. *Plinius* Lib. 2. cap. 40. *Orygem appellat*

pellat *Ægyptus feram, quam in ejus exortu* (ſc. caniculæ) *contra ſtare & contueri tradit, ac veluti adorare cum ſternuerit.* Idem de ſuis capris ſeu Orygibus jactant Libyæ populi apud *Plutarchum* de Solertia Animal. *Libyes Ægyptios derident de Oryge fabulantes tanquam vocem emittente illâ die qua oritur aſtrum, quod illi σῶθιν, nos verò canem & ſyrium vocamus. Illorum enim capras omnes quando ſurgit cum Sole aſtrum, conſtanter illuc converſas adſpicere Orientem verſus, & ſignum hoc Periodi firmiſſimum eſſe maximeque Mathematicis regulis conſentiens. Julius Solinus Polyhiſtor.* cap. 32. eandem divinandi temporis vim & aliis tribuit animantibus, docetque ordinem aſſequendi cœlorum recurſum: *Ægyptium*, inquit, *limitem, quà ad Diacecaumenen tendit, incolunt populi, qui momentum quo reparari mundum ad motus ferunt annuos, hoc ſtudio deprehendunt. Eligitur ſacer lucus, in quo conſeptant animalia diverſiſſimi generis. Ea, ubi ad ſtatum modum cœleſtis pervenit diſciplina, ſenſus ſuos ſignificationibus produnt* qui-

*quibus poſſunt: alia ululant, alia mugiunt, quædam ſtridunt, quædam rudiunt, nonnulla ſimul confugiunt ad volutabra. Hoc argumentum illis eſt magiſtrum ad indicium temporis deprehendendi.* Diſciplinæ cœleſtis ſtatus modus apud Ægyptios oriente ſyrio recurrebat, quo anni ſui initium auſpicabantur & ἔτȣς ἀρχὴν, teſte *Porphyrio*, quam cum mundi exordio inchoaverant pari ævo. In quo ab Hebræis, Græcis, Romaniſque ſingulari diſcrimine differebant, qui omnes ferè à Martio menſe anni principium inchoant; Hebræi quidem in memoriam ſolutæ captivitatis Ægyptiacæ pro anni initio Niſan celebrabant, noſtro Martio reſpondentem, ſed à creationis principio differentem, quòd Menſe Thiſri vel Septembri olim ſolemniter pro recurrentis annuæ circumvolutionis exordio ſacraverant, quos preſſis veſtigiis ſequuti ſunt Græci & Romani, (noſtroque ævo Veneti,) donec in Jani favorem & Februi Martio menſi duò alii à Numa,

ma, *teſte Livio* lib. 1. & *Aurelio Victore* præponerentur. Ægyptii autem quanquam ex Hebræis & anni initium & ejuſdem menſuram ad numerum 365. dierum poſtea mutuati ſint, quum in ultimo pertinaciter perſtiterint, auctore *Dione Caſſio* lib. 43. *Strabone* l. ult. Geo. c. ult. & præſertim Alexandrini & Thebani, quos deſeruerant alii qui tricenum dierum omnes menſes habebant, & trecentorum ſexaginta tantum dierum anni circuitum, ut expendunt *Herodotus* in Euterpe, *Macrobius* lib. 1. in Somn. Scip. & *Cenſorinus* cap. 18. de Die Natali: prius tamen ex ingenii libertate prorogarunt ad Stellæ Sothis ſeu caniculæ nativitatem, quam ſub Leone Auguſto menſe incidiſſe in cœlo quidem Romano ex *Plinio* diſcimus & *Martiano Capella*, quorum ille lib. 18. cap. 28. XVI. *Calend. Auguſti Aſſyriæ procyon exoritur. Deinde poſtridie ferè ubique confeſſum inter omnes ſidus indicans, quod canis ortum vocamus, Sole partem primam Leonis ingreſſo. Hoc fit poſt*

*ſol-*

*ſolſtitium* XXIII. *die*. Hic verò in eodem perſiſtit calculo lib. 8. de Aſtron. *Cùm autem Leo oritur, coronæ reliquiæ conteguntur. Auſtrinuſq́ue piſcis & Ophiuchi ſerpentis Bootiſq́ue partes. Oriuntur verò Hydri caput, Lepus, & Procyon, Caniculaq́ue pars prima.* Eadem ſyrii ferè in Ægypto eſt nativitas, quum exiguo diſcrimine è Sphæra ſua Romam Alexandriamq́ue Ægypti diſtinguat. Differentia enim utriuſque loci unius tantum eſt horulæ cum minutis 29. vel ſi ex Veronenſi ſitu, Patriâ, ut fertur *Plinii*, fiat computus, minutis augetur viginti, quorum certè in cœlis nullum momentum. Arabes pari vicinitatis jure annorum ſuorum caput paulò ante canis exortum conſtituunt, XV. nempe Julii, in memoriam fugæ Mahometis ex Mecca natali urbe quæ in Annum Chriſti 622. circiter incidebat, perpetuæ apud eos æræ terminus, quam Hegiram à fugiendo dicunt, primus, ut ex Aſtronomicis Libris Muhammedis *Alfergani*, & *Thomæ Erpenii* ad Joſephi

ſephi hiſtoriam Notis, non obſcurè elicitur. Accuratum autem caniculæ hujus momentum, in anni renati certitudinem, prodidiſſe apud Ægyptios Oryx aliaque animalia divinandi aliquâ indole prædita, feruntur à *Plinio*, *Solino*, *Plutarcho*, non quòd ipſi ex neceſſario cœleſtis orbis ſtatu Syrii ortum ignorarint, quum Aſtrorum ſcientiâ ante alios ſemper emicuerint, ob genii fatalis ductum ad cœlos ex loci commoditate tractum, quum ſtellæ ſemper omnes clarè cernantur, ut notant Divinus *Plato* in Epinomid. *Diodorus Siculus* lib. 1. Biblioth. hiſtor. nec cœli adſpectum liberum ullæ nubeculæ aut pluviæ intercipiant, nec longis obſervationibus exſtructæ *Ptolomæi* Regis illorum Tabulæ quicquam Ægyptiis latere ſiverint. Verùm id artificii exiſtimo uſos fuiſſe plebejæ ſortis homines & agricolas quibus operoſior ſpeculatio non eſſet operæ, vel peritiores in juſti puncti certius teſtimonium, quod *Plutarchi* quoque judicio firmatur. Cæ-

terùm obſcurioribus tenebris involuta res, quo inſtinctu temporis novi varietatem aſſequutus ſit Oryx? Expedietur dubium ex Caniculæ Orientis vi manifeſta. Nam, ut *Plinius* auctor eſt lib. 2. cap. 40. *Caniculæ exortu accendi Solis vapores quis ignorat? cujus ſideris effectus ampliſſimi in terra ſentiuntur. Fervent maria exoriente eo, fluctuant in cellis vina, moventur ſtagna.* Et alibi lib. 9. cap. 16. *Fluviatilium ſilurus caniculæ exortu ſideratur, & alias fulgure ſopitur. Hoc & in mari Cyprino accidere putant: & alioquin totum mare ſentit exortum ejus ſideris, quod maximè in Boſphoro apparet. Algæ enim & piſces ſuperferuntur, ab imo verſa omnia.* *Manilius* lib. 5. Aſtronom.

*Exoriturque canis, latratque canicula*
*flammans,*
*Et rabit igne ſuo.*

Unde inſana canicula apud *Interpretem Perſii*, quod ſub ortu ejus multi ægrotent. Quos Syrii effectus ſentiere & Oryges, corporis temperie ex calido & humido mixtâ, facilè à levi caloris excessu

ceſſu mutabiles diſſolutâ humorum copiâ & ſanguine ebullitione fervefacto. Cujus quoque caloris ſoboles eſt ſternutamentum Orygis, certum Syrii præſentis indicium à *Plinio* ſupra propoſitum, & laudatum *Photio* in Excerptis ex Vita *Iſidori*: Ὁ Ὄρυξ τὸ ζῶον, πταρνύμενος, ἀνατέλλειν διασημαίνει τὴν Σῶθιν: *Oryx fera ſternutans, oriri ſignificat caniculam.* Quod duplici accipiendum ratione, vel enim ortum Syrium ex cauſa demonſtraſſe vel ex certitudinis ſigno. Ex calidioris Syrii influxu humores cerebri liquefacti irritatæque ejuſdem membranæ, auctâ quoque virtute expellente neceſſariò ſternuit Oryx humidioris, ut dictum, temperamenti. Et ſi ex ſuperſtitione veterum addere aliquid libuerit, veritatem reſurgentis caniculæ ſignis dictis, ſternutamento novo, conciliare potuit; ita enim ſternutamentum ſubinde interpretabantur antiqui, narrante *Alberto Magno* lib. 1. de An. cap. 8. De quibus amplius hic addam nihil, quia ea dili-

gentiori cura *Anatomiæ meæ Paganæ* dedicarim, niſi quod ſub doctorum dubitatione verſetur quare cùm ſternuit Oryx adorare Orientem caniculam videatur apud *Plinium?* Ad morem reſpexiſſe veterum ingenioſi putant, quo ſalutati ipſis ſalutem ſternuentibus precabantur, illud ζεῦ σῶσον ſibi acclamantes. Simili enim joco ſalſè Proclum naſo longiori dotatum irridet *Poëta Græcus*, quòd Deorum opem implorare non potuerit ob ejus longitudinem ſonitum ſternutantis excipientem:

Οὐ δύναται τῇ χειρὶ Πρόκλος τὴν ῥῖν' ἀπομύσσειν,
Τῆς ῥινὸς γὰρ ἔχει τὴν χέρα μικροτέρην.
Οὐδὲ λέγει, ζεῦ σῶσον, ἐὰν πταρῇ· οὐ γὰρ ἀκούει
Τῆς ῥινὸς, πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.

Jurarem tamen nihil tale voluiſſe *Plinium*, quum non ſibi ſed Orienti Syrio aſſurgat Oryx. Adorare autem ſternutans videbatur ob nutantis geſtum, quo ſurgentem caniculam anni com-

munis

munis auſpicem quodam lætitiæ ſenſu veluti ſalutans excepit. Eo enim ſignificationis flexu hoc loci capienda adoratio, pro ſalutatione amica advenis fortè occurrentibus debita, quæ levi capitis corporiſque inflexione etiam nunc apud Orientales populos perſiſtit. Nec novum pro ſalutatione adorationem ſubſtitutam uſu apud alios frequenti, & ipſum *Plinium* lib. 28. cap. 2. ubi ſalutantium Romanorum ſingularem geſtum exponit: *In adorando dexteram ad oſculum referimus, totumque corpus circumagimus.* *Apulejus* l. 2. Met: *Aqua infuſa Populum ſic adorat*, ſive certa venerationis ſalutationiſque ſpecie alloquitur, ut de Turno *Virgilius* lib. x. Æneid.

— *Volens vos Turnus adoro.*

## CAP. XIV.

*Piſcium cornua contra Ariſtotelem. Piſces Monocerotes, Mexicanus, Indicus, Cluſii, Aldini, Imperati.*

PIſces planè cornibus carere non defuerunt qui aſſererent, idq́ue ſevero quidem vultu, à quibus non planè diſſentit *Ariſtoteles*, quippe omnis cornuum materia per ſquamas exhauſta, nec eam terrenæ ſubſtantiæ ſoliditatem adepta eſt, ut, abundante in piſcibus humore, in cornu concreſcat. Acriter tamen ſe oppoſuit huic ſuſpicioni ſubtilis *Scaliger* Exerc. 226. n. 1. exemplo obvio infelices dubitationes ſolvens: *Ad Inſulam Cimbuton*, inquit, *captus eſt piſcis, ſuillo capite cum geminis cornibus.* Cui ſubſidiariam experientiam mittit *Plinius* lib. 9. cap. 27. de Lucerna piſce cornuta; *Attollit è mare ſeſquipedanea ferè cornua, quæ ab his nomen traxit.* *Olaus* quoque *Magnus* lib. 21. cap. 5. de Piſcibus Norvagicis: *Horribilis*

*bilis etenim formæ ſunt, capitibus quadratis, undique ſpinoſis, & acutis, ac longis cornibus circumdatis.* Illa tamen non niſi abuſivâ vocis licentiâ in cornuum claſſem referri præter ſupra dicta, auctor quoque eſt *Plinius* lib. 11. cap. 37: *Cornua multis quidem & aquatilium & marinorum, & ſerpentium variis data ſunt modis: ſed quæ jure cornua intelligantur quadrupedum generi tantùm.* De unicornibus noſtri inſtituti ratio perſequetur, quos Neptuni in regno ad ſpecierum varietatem conſtitutos ſuadere videtur rerum ordo. De Piſce Tauri forma, qui à Chines Oceano delatus eſt, ita *Hiſtoriæ Mexicanæ Auctor* MS. cap. 55. de Aquatilibus: *Mirum eſt in hoc piſciculo duas prominere juxta frontem ſpinas acuminatas infractæ duritiei inſtar corniculorum, ac totidem alias eadem magnitudine & forma circa ventris poſtrema.* Illetif in Indico mari frequentiſſimum unico cornu ſpectabilem ex *Ludovico Romano* refert *Io. Renodæus* lib. 3. Mat. Med. cap. 24. quod tamen in illo non reperias. Nec

quis ſit Illetif ille Monoceros expiſcari licuit. Quod ſi ejus generis aliquis viſus Romano fuerit, à Septentrionalibus, qui circa Grœnlandiam, Sereniſſimo Danorum Regi ſubjectam ſtabulantur, parvo differre diſcrimine cenſuit judicio præſtans *Wormius*. Quid ſi Monoceros ille ſit, quem ex Indiis Orientalibus tanta precii fama advexerunt Batavi ſæculi hujus initio, cujus deſcriptionem à *Carolo Cluſio* lib. 6. Exotic. cap. 27. deſumam: Piſcem alium Monocerotem Batavi ex Orientali India Anno 1601. reduces attulerunt, quem Mercator tanti æſtimavit, ut niſi ingenti precio redimi non poſſe putaret. Ab extimo ore uſque ad caudæ pinnas paulò longior erat tribus unciis, medio corpore paulò plus uncia latus, à ſummo capite, ubi ſuprà oculos cornu eminebat, ad infimam alvi partem, quæ etiam in parvum aculeum deſinebat, ſeſcunciam latus; corio fuſci coloris & ſcabro totum corpus tectum erat; os præterea habebat promi-

minu-

minulum, anguſtum, ſemunciam longum, binis oſſeis denticulis munitum, qui in denos ſupernè ſecti videbantur, infernè verò in pauciores, niſi ii fuerint abrupti. Oculos, qui eruti fuerant, ſatis magnos habuiſſe videbatur; ſupra quos in capite corniculum gracile eminebat quadrangulare, penè unciam longum, decem ſpinulis inſtar hamuſculorum deorſum ſpectantibus, binis lateribus armatum, à quo ad pinnam, quæ à medio dorſo continua ad caudam uſque porrigebatur, interſtitium erat uncialis longitudinis, depreſſum inſtar ſulci cujuſdam, in quem corniculum, dum natat, inclinare videtur. Ex mari Erythræo alium noſtra memoria aperuit piſcem μονοκέρωτον, quem inter alia cœlo Italo rara ex Ægypto paucis retrò annis attulit *Coſmus Nigronius* Vir bonæ fidei & curioſus, ut ex appicta figura agnoſcet mecum ingenuus cenſor.

Sceleton piſcis hujus ſed grandioris apud *Thobiam Aldinum* Romæ accuratius



tius conſideravi, magnitudine eximium ſine ſquamis tamen, niſi quod propè caudam duo utrinque ſquamarum indices duriuſculos & acutos habeat, capite exiguo, oculis grandioribus, ore anguſto, dentes acutos præferente, anno ſuperiori ex Oriente apportatum. Alium in Muſæo *Ferrantis Imperati* Neapoli luſtravimus, cui Monocerotis titulus inſcriptus, quantitate priori imparem. Sed reverâ cornuti piſcis non uſque nomen meretur, quum ſpina ſit in dorſo evidenter inflexa, major quidem, ſed cui aliæ minores ſociantur.

Inter piſces cornutos referendos cenſet incomparabilis *Ol. Wormius* Centrinam, nobis *Haſmues* & canem marinum, *Haa* noſtratibus dictum, qui unicum cornu, verè corneum & acutum in dorſo geſtant, quo ad dentes purgandos, etiam argento & auro ornato, utuntur noſtrates, à doloribus & aliis incommodis ſe hoc pacto præſervari poſſe credentes. Horum piſcium

duos in Muſæo ſuo habuit laudatus *Wormius*, marem & fœminam.

Piſcis Unicornis cum ſquammis in inſula Antille Americæ, deſcribitur & depingitur cap. 18. *Hiſtoire Naturelle de l'Iſle Antille.* Monſtris annumero piſcem ingentem & veteranum Neſtedii Selandorum pridem captum, cui cornu mediâ fronte firmiſſimè adhærebat, longitudine digiti, intus cavum, de quo ex relatione *Iuſti Bertram*, egimus Centur. II. Epiſt. 11.

## CAP. XV.

*Unicornu Septentrionalis deſcriptio: & de eo Variorum error. Frons pro ore. Dentem eſſe non cornu. Wormii de eo Diſſertatio. Calcinatio dentis. Cranium. Septentrionis majeſtas.*

CElebrior ejus Unicornis marini fama eſt, quod ordine tertio deſcripſit prolixius *Parens noſter*, cujus memoria nunc in benedictione: quibus addam quæ apertius ſequens curioſorum obſervatio nos docuit. Animal

Mari-

Marinum circa Iſlandiam noſtram, Groenlandiam, & reliquas Septentrioni viciniores Inſulas frequens eſt & uſitatum, nomine vulgari *Narhval* à cadaveribus quibus veſci ſolet appellatum Iſlandis, Balenæ ſpecie & magnitudine, quod in ſiniſtra parte maxillæ ſuperioris unum ſolum per gomphoſin inſertum dentem effert eximiæ quantitatis & vulgatis cornubus longitudine craſſitieque parem. In gyros volvitur & ſtriatos flexus ex majori radice ad extremum obliteratos. Rarum enim fuit cornu illud ſine ſtriis gyriſque navi mercatoriæ impactum, [ſine dubio Roſmari dens,] quod olim in patria viderat ſolidæ eruditionis Vir *Lucas Holſtenius*. Hic autem ille dens eſt, quem pro Monocerote venditarunt plerique, in theſauris Principum reconditus ob ſingularem Unicornis veri opinionem, quam dentis illius raritas ſuperioribus temporibus de facili ingeſſit, quum non niſi per naufragia ad exterorum littora adpelleret. Verùm noſtro ævo

frequentioribus in Groenlandiam, præcipuè ad Fretum Davis Groenlandiam alluens, commerciis, & natura dentis & abundantia innotuit. Quippe illo cornu ficto totas naves onerarias implerunt nuperrimis annis mercatores noſtri, atque in Europam pro vero Monocerote intuliſſent niſi detractâ larvâ à peritioribus pro marino agnitum fuiſſet, & detectum; ut mirum non ſit patribus noſtris & toti Orbi hactenus impoſitum cornu, quod ſimilitudine Monocerotem æmulabatur, quum neutrum cornu exactius nec obſervarint nec obſervare potuerint. *Andreas Marinus* Libello de Unicornu: *Monoceros marinus habet ſimiliter cornu unicum, ſed quale ſit, ignoratur.* En ingenuam ignorantiæ confeſſionem, quæ ſuperiores tenuit, ex qua in errorem facile præcipitium. Temporibus autem *Marino* poſterioribus ſuppoſititium hoc cornu ſæpius & viſum, & quale ſit, obſervatum. Sed quum omnibus ferè animal ignotum fuerit & cranium, quin

quin cornu eſſet extra frontem promi-nens dubitarunt pauci ob affinis rei ſimilitudinem. Nos verò quibus & caput belluæ & ejus cornu naturali loco ſitum contemplari & contrectare pridem in Belgio & in patria noſtra in Muſeo Auguſti Danorum Regis *Dn. Frederici* III. & naturæ Promi-condi *Olai Wormii* licuit, verum dentem Balenæ, inſtar Elephantis ex ore prominentem, ſed ductu rectiori, aſſeveramus, falſumque credimus *Olaum Magnum* lib. 1. cap. 14. Monocerotem monſtrum appellantem marinum, habens in fronte cornu maximum, quo naves obvias penetrat, & *Iacobum Primeroſium*, quando lib. 4. de Erroribus vulgi cap. 38. retulit, fuiſſe ante annos non ita multos in Urbem Angliæ Hullam allata ex Groenlandia animalium marinorum capita duo in littore reperta cum cornibus in fronte maximis; vel enim cornua in fronte non fuerunt, vel ſingulare, hactenus ignotum, Unicornis genus ſtatuendum,

quod

quod ab ejus contextus mente abhorret, niſi pro ore frontem interpretetur ob commune eidem foramen ubi exſeritur cornutus dens. Nam eam frontis nomenclaturam inducit *Iſidorus* lib. 11. cap. 1. *Frons ab oculorum foraminibus nominata eſt*; quidni & ab oris foramine patentiori? Ex oſſea quadam adhærente particula cranium frontemve divinavit, & cornu veritatem; ſed illam mandibulæ inferiorisve cranii portionem fuiſſe omninò perſuadeor, cui non cornu, ſed dentes affiguntur. Dentem autem verum eſſe, non Cornu, qui ex Groenlandia lociſque Borealibus in Europæ varias partes diſſeminatus fuit, Unicornis mentito nomine, plura ſunt rationum invictarum momenta quæ evincant. Nulli tamen hactenus in mentem venerunt, nec ipſum animal dentatum ab ullo ſub pennæ ductum memini vocatum. Solus ævo noſtro fatorum benevolentiâ reſervatus *D.D. Olaus Worm*, Regius Daniæ Profeſſor, Naturæque omnis & Antiquitatum Borea-

realium inſtaurator, cui eo nomine & poſterioris debebunt & præſentis ſæculi erectiores mentes, & anteriorum temporum credula induſtria invidebit, quòd fictis Unicornu vultibus detractis, & dentem vario argumentorum apparatu demonſtrarit, & primus belluæ aggreſſus ſit Anatomiam. Cujus in hac Naturæ obſcuritate Diſſertationem, eruditionis plenam & clari luminis, hic duxi apponendam, quam *Corollarii* loco in ſolemni *Diſputatione* Anno 1638. quo de Cornu illo Groenlandico inter mercatores Hafnienſes orta erat controverſia, velut æquiſſimus arbiter publicè interpoſuit.

## An os illud quod vulgo pro cornu Monocerotis venditatur, verum ſit Unicornu?

*ILla intelligimus oſſa quæ figura recta, oblonga, tereti, inferiori parte craſſiora, paulatim in mucronem gracileſcunt, levibus cana-*

*canaliculis ſeu ſtriis ab infima parte, qua capiti juncta fuere, cava, longitudine quandoque ſeptem, quandoque plurium pedum, pro ratione magnitudinis, non admodum ponderoſa ſunt. Cujus generis illud quod Sereniſſimo Regi noſtro ex Iſlandia, ut audio, allatum; item illa quæ ex Groenlandia nuper Mercatores noſtri attulerunt. Tale ad fanum S. Dionyſii, propè Lutetiam oſtentatur. Talia in delubro D. Marci Venetiis aſſervantur. Talia in gazis Pontificum cuſtodiri tradunt. Tale ſeptem pedes longum Antverpiæ venale vidit* Goropius, *quod ex Iſlandia allatum fuiſſe refert. Tale Argentorati, tale Metis, tale apud Regem Poloniæ. Tale quod,* Aldrovando *teſte, Mercatores Germani Romam venale tulerunt precio nonaginta millium coronatorum. Tale fragmentum illud, quod* Iulius Tertius, *Pontifex Romanus, mercatus eſt duodecim millibus aureorum. Ex talibus ſegmenta paſſim apud Magnates invenies, titulo* UNICORNU *ſuperbientia.*

*Quæ tamen tantum abeſt veri Monocerotis cornua eſſe ut ſtatuamus, ut ne quidem cornua dicenda rationibus & αὐτοψίᾳ freti*

exi-

*exiſtimemus. Cornuum enim naturam & ſubſtantiam ſi rimemur, conſtabit ea duûm eſſe generum. Sunt enim vel concava, quæ lineas quaſdam quaſi torno ductas, circa radices obtinent, de ætate atteſtantes, ut in bobus & capris videre licet; vel ſolida quidem, ſed poroſa, ramulis ſuis ornata, ut in cervis, & ejus generis animalibus. Sed hæc quæ pro Unicornu venditantur, nihil iis ſimile obtinent, utpote ſubſtantiâ ſolidâ & durâ conſtantia, dentibus Elephantis, Roſmari, aut Balenæ ſimillima. Et ſi rem accuratè æſtimemus, videbimus nullum cornu ita cranio aptari, ut illud perforet ac penetret, ſed ſuperficiei ejus exteriori adhæret ſaltem, ac ex ea nutrimentum capit: at putatum Unicornu ita cranio inſertum vidimus, ut ultra dimidiam ulnam ejus ſubſtantiæ ſeſe inſinuaverit. Quin imò per gomphoſin mandibulæ ſuperioris alveo ad id creato, ita inſitum conſpeximus, ut in aliis animalibus dentes ſuis cavitatibus infigi ſolent. Adde illorum quædam, quæ ex Groenlandia noſtri attulere Mercatores, juxta baſin ſanguinolenta adhuc (utpote recenter ab animalibus avulſa)*

*avulſa) perioſtii & fibrarum membranea-rum reliquiis cincta fuiſſe, quibus maxillæ alveolis annectebantur; ut dubium nullum curioſo ſpectatori eſſe potuerit, quin potius ad dentium quàm cornuum claſſem ſint re-ferenda.*

*Dicam ingenuè quid ſentiam, quidque eſſe* αὐτοψίᾳ *compererim. Dens eſt Balenæ, Iſ-landis* Narhval, *à cadaveribus quibus veſci ſolet ſic dictæ.* Naer *enim illis cadaver eſt. Hujus cranium non ita pridem videre mihi contigit integrum, cui dentis hujus portio ſat magna adhuc adhæſit. Totum duas æquabat ulnas noſtrates, circa baſin foramine grandi præditum, per quod medulla cerebri in ſpi-nam excurrebat, in ejus fermè meditullio aliud apparebat, quod in palatum deſinens in duo quaſi divaricabatur, aquis hauſtis eja-culandis (ut in aliis cetacei generis) in-ſerviens, ſiniſtræ verò maxillæ ſuperiori (quæ paulatim in acumen terminabatur) parti, alveus erat profundus per longitudi-nem capitis excurrens, cui radix dentis hujus inſerta: non enim deorſum ſpectabat, ut in Roſmaro, nec ſurſum ut in Elephante, ſed*

*recti*

*rectà juxta capitis longitudinem prominebat; de quo forſan accuratius alibi. Hunc autem dentem, ſi cum dentibus Elephantis, Roſmari, Balenæ, &c. conferas, licet figurâ externâ inter ſe differant, ſubſtantiâ tamen, inſertionis modo, & reliquis proprietatibus planè convenire videbis. Hoc antè me indicavit* Gerardus Mercator *in Atlante Minore, Iſlandiam deſcripturus, ubi inter reliqua hæc habet:* Inter quæ piſcis *Narhval.* Hujus carnem ſi quis comedat, ſtatim moritur, habetque dentem in interiori capitis parte prominentem ad ſeptem cubitos; hunc quidam pro Monocerotis cornu vendiderunt, creditur venenis adverſari. *Quadraginta ulnarum habet bellua. Qui verſus polum arcticum & fretum Davis iter inſtituunt crebrò in ejuſmodi incidunt beluas, ut videre licet in Itinerario* S. Purcaſſii *Tomo 3. lib. 3. cap. 1. Refert* Hugonem Willibuy *tale os ex Groenlandia reportaſſe, ubi incolæ mercaturam iis exercere ſolent, eodem libro cap. 22. Item lib. 4. cap. 19. circa Groenlandiam multos tales piſces reperiri oſtendit.* Robertus Billeth

leth *in Navigatione verſus Septentrionem Anno* MDCXVI. *inſtitutâ, ad elevationem Poli* 74. *grad.* 30. *min. ſæpe in ejuſmodi dentatos incidit piſces: ut dubitare amplius nemo valeat, quin oſſa dicta, dentes ſint Ceti Septentrionalibus* Narhval *dicti, niſi tot dignis teſtibus & ſenſibus ipſis aſſenſum denegare velit.*

Hactenus Vir ille ſupra invidiam Magnus & dentem probavit, & à cornuum notione pari felicitate excluſit, quod ut clariori luce pateret, res ad preſſius ignis examen vocata, ut in principia ſua reſolutus dens certum naturæ ſuæ præberet documentum. Fruſtulum enim hujus cornu ſimulati, quum *Pharmacopœus Hafnienſis*, Auguſti Danorum Regis CHRISTIANI IV. juſſu, calcinatione Philoſophicâ, per liquoris calidi evaporationem præparaſſet, in tenuiſſimas laminas reſolvebatur, certiſſimo argumento dentem eſſe, non Cornu verum. Cornua namque calcinata in laminas nunquam viſa ſunt reducta, quæ dentibus Roſ-

mari

mari & Elephanti propriæ feruntur. Sed illa quum certam ab experientia & rationibus fidem jure ſuo meruerint, amplius nec probari debent, nec revocari. Si quis tamen potiùs cornu quam dentem appellare mallet, repugnantem non inveniet Magnum noſtrum *Wormium*, modò impropriè ita dicatur, eo modo quo dentes Elephanti, etiam cornua, apud graviſſimos Authores vocantur. Confirmat id laudatus *VVormius* in Exercit. Med. XVIII. Controv. 2. *Plinii*, *Varronis* & *Oppiani* authoritate. *Plinius* enim lib. VIII. cap. 3. *Prædam*, inquit, *ipſi in ſe expetendam ſciunt, ſolam eſſe in armis ſuis, quæ Iuba cornua appellat.* Alibi idem lib. VIII. in Procœmio: *Atque cum ex arbore exacuant limentque cornua Elephanti.* In eadem opinione videtur fuiſſe *Varro* lib. VI. de L. L: *Quos dentes multi dicunt cornua ſunt.* Hinc *Oppianus*:

*Deinceps immenſos Elephantos diva canamus,*

*Cor-*

*Cornibus armatos immanibus, ante reflexis,*
*Namque duo tollunt ingentia ſpicula malis*
*Ad cœlum exſertis, omnino dentibus æqua,*
*Quæ vulgus reſecans dentes exiſtimat eſſe.*

Imò balenæ. Unicornu ראם vocatur in ſacris, quod ex Chaldaica verſione *Geneſ. 1. verſ. 21.* deducit *Buxtorfius* in Lexico Chald. & Rabbinico. Reſtat ut dentati piſcis porrò hiſtoriæ inſiſtamus, cujus antea ſpecimen accepimus Summi *VVormii* beneficio, cui deinde animalis iſtius ad balænam propiùs accedentis figuram, ſed rudiorem tranſmiſit Epiſcopus Iſlandiæ Borealis D. *Thorlacus Scutonius*, qui eum cum glacie Groenlandica eo appulſum vidit. Nos verò ejus accuratiorem hic damus ideam, quæ dentem mandibulæ ſuæ inſertum, eundemque extractum oculis ſubjicit eâ fide iiſque lineis, quibus in *Muſæo VVormiano* cranium conſpicitur. Illam autem publico bono, ſæculique gloriæ natus *Olaus VVormius*, non ita pridem è patria Urbe miſit, pro-



proprioque ſtylo, quam ſubjungemus cranii duxit ſtructuram, & ſingulas Naturæ lineas. Iſtam verò figuram cranii & dentis in Muſæi ſui deſcriptione poſtea depoſuit Venerandus Senex *Ol. VVormius*, editâ à Filio prorſus Patri ſimili, *VVilh. VVormio.* Deſcriptio quam nobis communicavit Beatus *VVormius* hæc eſt: *Cranium ipſum mandibulâ inferiori deſtitutum, nulliſque præter magnum hunc præditum dentibus, colore erat griſeo nigricante, qualis oſſium eſſe ſolet aëri diu expoſitorum & ad putredinem tendentium, inæqualiter variis foraminibus & protuberantiis præditum, quibuſdam in locis æquale & læve, quibuſdam ſcabrum, ſubſtantia oſſis partim naturâ poroſiore exiſtens, partim à cutis particulis & fibris tenaciter ei adhærentibus talis reddita. Figurâ triangulari fermè in longitudinem protenſâ. A vertice ad extremitatem proboſcidis ſeu tenuioris ejus partis cui dens inſerebatur, duos exactè habebat pedes Romanos. Ab unius latioris proceſſus qui cilia firmabat & oculum dextrum muniebat extremo, ad ultimum*

*pro-*

*proceſſus qui ſiniſtrum tegebat, cranii latitudo erat pedis unius cum ſemiſſe. Eâ enim parte latiſſimum erat. Hinc paulatim gracileſcere & imminui cœpit in extremum uſque oris. Occipitium verſùs etiam paululum extenuabatur, ibidemque à parte ſuperiore ad inferiorem eandem tenebat latitudinem, quam occupat linea ab una oculorum orbita ad aliam tracta: Occipitium in diametro pedem paulum ſuperabat. Sed extremitas oris parte ſiniſtrâ, cui dens inſerebatur, pollicum erat trium cum dimidio; dextro latere, ubi nullus erat alveus qui dentem caperet, craſſa erat unciam cum dimidia, ſubſtantia fungoſa. Dens ipſe integer non erat, ſed tertiâ fermè ſui parte mutilatus, quinque interim pedes longus, duos pollices ſi exceperis, craſſitie inæquali. Baſeos quæ fundum cavitatis ſeu alvei occupabat diameter duorum erat pollicum, circumferentia ſex cum dimidio. Hinc paulatim in ampliorem ſurgebat molem, uſque dum cancellis alvei liberatus liberè vagari cœpit. Egreſſus alveum in diametro tres fermè habebat pollices, in circumferentia quinque. Ex quo quanta ejus deſide-*

*vetur pars facilè colligere licet. Figuram eandem obtinebat, quam reliqui omnes hujus generis.* Hæc marini dentis ſeu Monocerotis falſi deſcriptio *Wormiana* adeò exacta eſt, & omnibus numeris abſoluta, ut quod addi debeat, ſuperſit nihil. Ad eam verò juſto diligentius examinatis Magnatum Unicornibus, velut ad normam, evidentiùs patebit omnia quotquot uſquam ſint, minùs ab hoc differre quàm ab ovo ovum, unumque Septentrionem rigidiori frigore ſuperbum, præter ſacras nobilium metallorum venas, & ſplendidam unionum congeriem, ea inſuper inter quotidiana numerare, quibus aliquâ raritatis ſpecie precium terrarum omnium Domini non exile ſtatuunt. Re enim preſſiùs examinatâ, apparebit, non dari aliud Unicornu, præter hunc dentem Balenæ. Vidi omnia quæ paſſim pro vero Monocerote venditantur, ſed ex hoc fonte omnia profluxiſſe auſim dejerare, ſicut inferiùs demonſtrabimus, ubi ſingula ad examen vocaverimus,

for-

formam & vires deſcripturi. Cur verò Groenlandi Unicornu vocent *Turacca*, ignorare cogor. Ita verò illis appellari ex Groenlandicis fœminis didicit Frater meus chariſſimus D. *Caſp. Bartholinus* Juriſconſultus, quæ apud Socerum illius Nobiliſſ. *Henr. Mullerum* hoſpitabantur non ita pridem.

---

## CAP. XVI.

*Boum Unicornuorum natalis locus. Excuſatur Solinus, Plinius verò examinatur. Tauri Unicornes. Bizontes qui. Plinii inconſtantia notatur. De pilis Vaccarum. Talmudici taxantur.*

INterpres Naturæ *Plinius* lib. 8. c. 21. varius eſt in natali Unicornis Bovis ſolo, modo Æthiopiam, modo Indiam agnoſcens. Exordio enim capitis de Æthiopicis feris inducto ſermone, etiam bovis Unicornis meminit: *Indicos boves Unicornes, tricorneſque, Leocrocottam perniciosiſſimam feram.* Pro quo ex fide MSi Veneti *Paulus Manutius* ediderat, *Leocrocutam perniciſſimam feram.*

At verò finitis Æthiopum animalibus ad Indica delapſus, in horum cenſu quoque eoſdem numerat Boves: *In India & Boves ſolidis ungulis Unicornes, & feram nomine axin.* Ejuſdem Indiæ incolas credit & *Solinus Polyhiſtor* cap. 52. *Sunt præterea boves Unicornes & tricornes, ſolidis ungulis nec biſiſſis.* Ob quam mentis perverſitatem à Doctiſſimo ejus Commentatore *Cl. Salmaſio* egregiè vapulat, quòd Æthiopica illa omnia animalia in Indiam tranſtulerit. Mirum ſanè non eſt veſtigia illius ſequutum, à quo pleraque in ſuos collectaneorum libros congeſſit, *Plinio* nempe, qui pro Indica fera hanc habuit & Æthiopica, quamquam hoc magis ex propria, ut videtur, ſententia; quòd enim inter Indica progreſſu capitis retulerit, neſcio an ex *Cteſiæ* ſit factum mente, cujus teſtimonio antea interjectis paucis, tanquam horum auctoris hæc narrat. Quum verò id animo Doctorum Interpretum firmiter inſederit, Indicum non eſſe Unicornu bubulum, ſed ut primò

primò affirmaverat *Plinius*, Æthiopicum, in emendatione prioris loci de Indico ſatis ſudarunt. Aliquibus viſum non de bove Unicorne, ſed equo Indiæ familiari interpretandum *Plinium*, unde ita textum corrigunt: *Indi equos Unicornes*, pro eo quod legitur, *Indicos boves Unicornes*. Verùm fruſtrà binis locis interſperſiſſet *Plinius* equorum Indicorum hiſtoriam, niſi & his duplicem patriam aſſignaſſet, in Æthiopia & India eodem cum bobus dubio recurrente. Unde *Salmaſius ὁ πάνυ* verba illa, *Indicos boves Unicornes Tricorneſque*, ex adnotatione marginali cujuſdam ſtudioſi irrepſiſſe in contextum divinaſſet, niſi in ſuis codicibus eadem verba inveniſſet Solinus, quæ id notant ex *Plinii* ſententia, Æthiopiam boves etiam generare, quales Indici, Unicornes nempe tricorneſque. Nec ulla diverſorum locorum multitudo *Plinio* adverſatur, ſiquidem plurium terrarum proventus in ejuſdem ſubinde ſpeciei animali conſiſtit, ut domeſticis beſtia-

rum exemplis docemur. Non enim ſolâ Perſiâ aut Epiro clauduntur generoſiores equi, ſed eos profert & Iberia, Thracia, & Cimbria. Nec Tigrin Hircania ſola, ſed Media quoque gignit, neque arctis Æthiopiæ finibus terminantur Lupi Scandinaviæ ſylvis infeſtiſſimi. Ubique Natura eadem, quanquam ſubinde ad gentium regionumque varietatem partiatur operas. Nam & Monocerotem Æthiopia fert, fert quoque utraque India, nec Rhinocerotis ortum unica terra circumſcribit. Ut infra miraculum ſit, ſi Unicornes boves cum Æthiopia etiam India producat, aliorum taurorum Sylveſtrium majori feritate ſævientium ferax, teſte *Plinio*, *Solino* l. l. d. d. *Iſidoro* lib. 12. cap. 1. Quid, quòd & Aonia vicinior, Bœotia nempe, Helladis altera pars, à fonte quodam Apollini & Muſis conſecrato ſic dicta, taurorum Unicornium armenta paſcat, ut ſcriptum *Oppianus* reliquit. In Hercynia ſylva non abſimiles depingit *Iulius Cæſar* in libris

Com-

Commentariorum belli Gallici, quæ malè *Iulii Celſi* cujuſdam, exſcriptoris forſan vel cenſoris ejuſdem operis, nomine in MS. *Antoniano* Venetiis inſcribuntur, quod ab imperito alio ex margine libri in textum ſucceſſit. Inveniri etiam in Boruſſia Bizontes Unicornes circa calcem Lib. 1. Antiq. Boruſſ. refert *Eraſmus Stella*. Bizontes verò à Tauris parvo ſeparantur diſcrimine, quos Germani vocant *Ubroxen*. Ab Uris diſtinguuntur & Bubalis *Plinio* & *Solino*, illi lib. 8. cap. 15. huic cap. 20. de Mirabilibus mundi. Ex quorum utroque Biſontem penitiùs inſpiciens, Unicornem Biſontem in Boruſſia frequentem, illum arbitror eſſe, quem in Hercynia deſcribit *Cæſar*. Enimverò Biſontes jubatos Germaniæ proprios notat *Plinius*, & preſſiùs ad rem *Solinus* in tractu ſaltus Hercynii, & in omni Septentrionali plaga Biſontes frequentiſſimos narrat, qui bovis feri ſimiles, ſetoſi colla, jubas horridi, ultra tauros pernicitate, capti aſſueſcere manu

neſciunt. Cui ſimilis parùm Juliana deſcriptio Monocerotis loci illius & regionis proprii, quæ eodem tractu Boruſſiam reliquaſque Boreales plagas complectitur. De aliis Bobus apud *Ælianum* unius cornu legiſſe me memini, quod tres capiebat amphoras, ex Indis Ptolemæo advectis. Notanda tamen quàm hinc diſcedam antè erit *Plinii* quædam inconſtantia in cornigerũm ſolidipedibus, qui enim lib. 11. cap. 46. dixerat ſolum Indiæ Aſinum inter ſolidipeda cornigerum atque Unicornem exiſtere, *hic* (lib. 8. cap. 21.) Boves Unicornes quoque in ſolidarum ungularum ſocietatem admittit. Contrarietatem circa idem animal aliam in *Cardano* notat *Scaliger* Excerc. 206. quòd Unicornis Vaccæ pilum cœruleum ſcripſerit, quam tamen coloris mixturam in pilis animalium alio loco negaverat. Ruffum verò pilum Monoceroti huic conſignat *Scaliger* loco laudato. *Aliis unicum è fronte media prodit cornu, pedali majus, curvitate ſupinâ. Ejus enim*

*enim cuſpis retrorſum devexa eſt. Ipſe pilo ruſſo.* In quo litigio niſi me fallit memoria injuriam, more ſuo, *Cardano* impingit *Scaliger.* Viridem quippe tincturam, non cœruleam, aliàs pilis denegaviſſe Cardanum, propter craſſitiem lucidi coloris minùs capacem, ad *Parentis Anatomiam* lib 3. cap. 1. olim obſervavimus. Vel certè viridem cœruleumq́ue pilum in humano genere non obſervatum Cardanus indigitavit. A quo autem cœruleum Monoceroti huic pilum acceperit Vir ſubtilis, mihi quidem dubium, quum ruffum viderit *Ludovicus VVarthema* Zeilæ, urbe Æthiopiæ inter primas. Sed quis pilorum tincturam pro ætatis Individuiq́ue conditione ſemper ferè variare ignorat. Profectò Vacca altera, cornibus Cervinis ab eodem *Varthema* Zeilæ apud Sultanum viſa, à Monocerote parvis paſſibus diſtabat, an ſpeciei naturâ non auſim affirmare; huic tamen obſcuro colore ad nigrorem proximo pili per naturam infecti fuerunt. Cor-

 nu

nu bovis Unicornis vidiſſe ſe teſtatur *Ardens Etereus* Academicus cap. 44. Theſ. de gemmis, tres palmos longum, parùm à Rhinocerotis differens, foris politum, intus involutum, unâ extremarum parte candicans, alterâ nigricans, ut boum alioquin cornua eſſe ſolent. Vi autem in Petechiis eximiâ pollere, quod & de Rhinocerotis alii prodiderunt. De bobus Unicornibus ex ſuo addunt *Rabbini Talmudici*, primum iis ſacrificaſſe Adamum Paradiſo expulſum. Nam in primo *Avodazara* referunt in diluculo diei ſecundi à lapſu poſt præcedentis lucis planctum, Adamum ſumpſiſſe Bovem Unicornem, ut offerret holocauſtum Jehovæ, cujus cornua hoc charactere deſcribunt; quòd fuerint ante ungulas, h. e. quòd à Deo exordio rerum creata ſint. Probant ſententiam auctoritate *Sacri Lyrici* Pſal. 69. 32: *Et placebit Deo ſuper Iuvencum, cornua producentem, & ungulas.* Quem vertunt illi: *Et recepit Dominus magis quàm bovem taurum qui facit cornua,*

*nua, ungues*. Ut innuerit Pſaltes placuiſſe Domino magis preces, quàm Adami ſacrificium. Nuſquam enim Tauros boves ſtatim à nativitate cornibus inſtructos fuiſſe & ungulis, niſi mundi initio quum perfecta eſſent animalia. Idem reperit R. *Iuda* 2. Aphoriſm. de Sabad. & 3. de Cholin. Sed hæc authores ſuos ſapiunt, nec Unicornem magis bovem probant, quàm bicornem.

---

## CAP. XVII.

*Aſinus unico cornu ſolidipes. De ejus talo Ariſtotelis, & Plinii lapſus. Iſidorus tangitur. Talus ab ἀςραγάλῳ. Aſini adumbratio. Mutationum cauſæ: & alia.*

TEſtimonio magnorum Auctorum celebratur inter interioris Indiæ feras Unicornu Aſininum, eo tamen diſcrimine quòd & ſolidipes ſit, & talos habeat. Solidipedem Aſinum deprædicant *Ariſtoteles*, ſimul & *Plinius* Naturalis hiſtoriæ anteſignani. *Ille* quidem

dem lib. 2. de hiſtoria Animal. cap. 1. *At ſolidipes, idemq́ue Unicorne eſt, quanquam rarum, ut Aſinus Indicus: ille enim & Unicornis, & ſolidipes eſt.* Et lib. 3. de Partibus eorundem cap. 2: *Cornigerorum pars maxima biſulca eſt: ſed ſolidipes etiam traditur in eodem genere, quem Aſinum Indicum vocant.* Hic verò nihil diverſus eadem inculcat lib. 11. c. 37. ubi de Cornuum agit differentiis: *Tenuiora fœminis plerunque ſunt, ut in pecore: multis ovium nulla, nec cervarum, nec quibus multifidi pedes, nec ſolidipedum ulli excepto Aſino Indico, qui uno armatus eſt cornu.* De talis ſubnectit infra cap. 46. *Unicorne Aſinus tantùm Indicus. Talos Aſinus Indicus unus ſolidipedum habet.* Et in eandem ſententiam ſuprà *Ariſtoteles* l. 2. hiſtor. cap. 1. *Talem etiam Aſinus ille Indicus ſolus in ſolidipedum genere poſſidet.* Non diſſentit *Philes*, qui ſua de Animalibus ex Ariſtotele Ælianoq́ue, judicio *Michaëlis Barthii* congeſſit:

Ἀστράγαλον αὖ γὰρ καὶ χολῆς κύστιν φέρει,
Τῶν μωνύχων, βέλτιστε, τῶν ἄλλων μόνος.

Ta-

Talum verò & cyſtem fellis geſtat, ſolidipedum aliorum ſolus. Quod quo naturæ factum ſit inſtituto, horum nullus explicat. Forſan ad latius pedum munimentum in deſertis Indiæ neceſſarium. Cæterùm quo jure Ariſtoteles, & quem hic ferè exſcripſit *Plinius* talos cum digitis conjunctos neget, conjicere non poſſum. Certè in errorem communem ille hunc duxit è veſtigio ſequentem. Convictos illos affirmat *Plinius*, qui hominem talos habere exiſtimarunt, & pro certo *Ariſtoteles* credit ipſi non eſſe. In quo uterque ſtrenuè falluntur. Talos enim inter pedis humani oſſicula in ſectione ejuſdem quotidie numeramus, & ab Anatomiæ peritis, quotquot uſquam ſunt, iidem obſervantur quibus carere per naturam pedes non potuerunt, calcaneo ſiquidem in ſuſtinendo pede operas mutuas præſtant, & omninò in movendo eo primas tenent. Quod fuſius capite 7. & 8. lib. 3. de Uſu part. perſequitur *Galenus*, ubi extendere & flecte-

flectere pedem, ſupernæ aſtragali dearticulationis opus per partes demonſtrat. Mira quoque eſt Tali deſcriptio *Pliniana* ab *Ariſtotele* aliena: Talum enim rectum dicit in articulo pedis ventre eminentem, concava in vertebra ligatum. Quid enim ad calcaneum vertebræ dorſi motores? Excuſari tamen in eo meretur *Plinius*, & leni judicio explicari. Vertebram articulum vicinum nuncupavit, cui, vertendo ut inſerviat, inſeritur. Hoc ſignificationis ambitu etiam vertibulas, quæ cum vertebris eædem ſunt, ceperat *Lucillius*, ut monet *Abbreviator Feſti Paulus*: *Vertibulas quum dixit Lucilius, articulos intelligi voluit*. Et ipſe *Plinius* primo Libro XI. articulationes inſectorum falſas, vertebras vocavit: aliquibus verò non tota inciſura eas ambiente rugas, ſed in alvo, aut ſupernè tantùm, imbricatis flexilibus vertebris. Latum vocum uſum effingere voluit in re ſimili, ſed voce diſſimili, *Iſidorus* lib. XI. Orig. cap. I. quum Talum ſub crure colloc-

cat,

cat, ſub talo calcaneos. Talus enim ſub crure magis non eſt quàm calcanei, ſi expreſſiùs loquamur. Majoris tamen erroris tenetur allata ab eo Tali etymologia, quam à Tolo deducit, quia tolus eminens ſit rotunditas. Quippe rotunditatem minorem talus habet, quàm aliud quodvis oſſiculum, ut etiam Quatrio à totidem lateribus dictus ſit. A Græci nominis, ἀστράγαλος, terminatione ultima, γάλος, reciſa, Talum ab ore Romano formatum exiſtimo, quum inter ſe Γ & Τ ſæpiùs ſint permutata pari valore & pronunciationis ſono: unde natum Latinorum Turtur à Græco τρυγὸς ſive *Æolica Dialecto* τυργὸς, & à σφ γίον Spinturnix, cujus mutationis occaſionem dederunt ipſi Græci, qui eâdem licentiâ utrumque elementum confuderunt, ut ex Heſychio videre eſt, quum σγέον pro ἰστέον expreſſit. *Ariſtotelis* enunciatum ut defendat Commentator ejus *Auguſtinus Niphus*, in Expoſitione illius textus Tali duplicem proponit ſignificatum,

pri-

primum pro oſſe illo ſuper calcaneum protuberante, alterum pro oſſis genere quod in articulo pedis parte poſteriore ventre eminet. Quâ notione apud *Ariſtotelem* venit. Verùm enimverò ut proceſſum illum Tibiæ grandiorem Talum dicendum probaret, majori opus erat auctoritate, quanquam utram velit ſignificationem non magnopere interſit, quia in hominibus, quod negavit cum Ariſtotele *Plinius*, utrumque os invenitur. Quale porrò ſit fueritve animalis genus, eò eſt obſcuriùs, quò in eo deſcribendo parciores ſunt Auctores. Aſinum Indicum fuiſſe, illumque inter Monocerotes ſolum cognitum *Ariſtoteli* & *Plinio Jul. Scaliger* ſuſpicatur, cujus verba ad has lineas merentur vocari ex lib. 2. de Hiſtor. Animal. t. 130: Vartomannni *Monocerotem* Ariſtoteli *&* Plinio *incognitum fuiſſe puto, eoſque tantùm de Aſino Indico locutos: qui planè alius ſit ab Unicorne, cui hoc peculiare nomen eſt, de qua* Vartomannum *vera loqui exiſtimo. Aſinus autem*

*tem Indicus Indiæ deſerta incolit, pugnat pro pullis calcibus, atque etiam morſu: mirum. Nam quibus cornua dura ſunt, quod dentibus corripuere facilè ſolvunt, carnes ob amaritudinem inutiles.* Silveſtrem Monocerotem apud Indos errantem *Cteſias* apud *Herodotum* ab *H. Stephano* impreſſus indigitavit, quo nomine etiam *Æliano* venit lib. 4. de Anim. cap. 52. tametſi, quæcunque ab eo de Aſino Monocerote referantur, ex aliorum ſententia profluant, ut fatetur ipſe, & probat *Io. Æmilianus Ferrarienſis* Syntagm. 4. de Ruminantibus, *Andreas Marinus* lib. de Unicornu, qui hunc Aſinum pro Chimæra habet, quòd à nullo ſit obſervatus poſteriorum noſtri ſæculi, qui Indos, vel Novas alias Terras, veteribus ignotas, frequentiùs adiverunt. Viſos quidem Aſinos in India magnitudinis eximiæ, celeritate pollentes & pulcros, ſed ſine cornibus omnes. Interiiſſe verò ab eo tempore ſpecies vel ſingulis tantùm centenariis inſtar Phœnicis conſpici, rationi mini-

minimè eſſe conforme. Cui tamen non difficile foret occurrere, ſi litem hanc pro Aſinis meam facerem. Enimverò mirum haud eſt, non cuivis pertranseunti Monocerotem occurrere, qui in deſertis ſola loca quærit, & ipſis Magnatibus terræ illius adeò ob raritatem æſtimatus, ut cornua armillarum vicem præſtent. Quòd ſi viſi ſint Aſini ejuſdem conditionis & naturæ ἀκέρατοι, pro cornutis magnum dabunt argumentum; eo enim ordine in creandis rebus verſatur Natura, ut per gradus progreſſa in certam ſpeciem congerat, quæ partitè in plures diviſit: ut taceam à cornibus, in quibus pro Individuorum conditione ludit Natura, ſpeciei nullam probari diverſitatem, quod exemplum Cervorum docet. Quamobrem ſi obſervati ejuſdem naturæ Aſini ἀκέρατοι, quidni fuerint eodem angu!o terrarum Monocerotes? quum etiam ὄνοι τὰ κέρατα ἔχοντες in Africa & Scythia reperiantur, Libyaque teſte *Herodoto* lib. 4. ad quem quidem

dem multitudinis gradum ſine intermedia unitate non tranſcenditur. Species an interire poſſint alterius eſt inſtituti & ordinis, præſertim quum extra objectionis illius telum jam ſimus. Aſinus enim ille ſylveſtris ſimplex à cornuto ſolis cornibus diſtinguitur, non ſpecie aut formâ, ut hujus interitus ſpeciei totius Aſininæ occaſum ſecum non trahat. In omni certè ſpecie lapſu temporum aliquid remittit ſerior ætas, quod vel magnitudinem vel virtutem aliam ſpectat, ſine generis iſtius defectu, quo fortaſſe pacto homines ab immani monſtroſitate Gigantum cum ſæculo defecerunt, & ſublatâ Titanum ſpecie, ex *Juven.* Sat. 15.

*Terra malos homines nunc educat, atque puſillos,*

Qui olim in immenſum protendebantur, auctâ corporum mole, partim largiori victu, partim vaſorum amplitudine, partim membrorum ad extenſionem facilitate & mollitudine, quibus inde contractis & firmatis intra de-

bitam

bitam menſuram conſtiterunt. Par in Aſinis ratio vel parùm diverſa, à capite cornuum materiam potuit repellere, vel generandam prohibere, ut non frequentiùs Monocerotes Bicorneſque appareant, quàm homines inſuetâ magnitudine, vel exilitate ſubinde per ſæcula etiam emergentes. Irridet autem à Mercatorum itinere deſumptum argumentum *H. Stephanus*, quos ἀναλφαβήτους quum vocat, judicio eo, quod doctrinâ quæritur, omninò carentes, nec obſervare poſſe, nec obſervata aliis viris doctis commemorare judicat, adeóque minus illiteratis fidei, quàm antiquis Scriptoribus adhibendum.

## CAP. XVIII.

*Aſinini Cornu Virtutes. Onager Plinii; deque eo Olai Magni error. Plinius emendatus. Lalla. Armillarum in poculis uſus. Cornu aureum Danicum. Aurata animantium cornua.*

VIrtutes ab *Æliano* Cornu huic Aſinino aſſignatas hic intactas relinquam,

quam, quòd vocum ſimilitudine, per errorem narrantium, à Monocerote ità per excellentiam dicto, mutuatus ſit ipſe, in quarum multitudine tanquam impoſſibili, adeò triumphat *Andreas Marinus*, ut vel hoc ſolo nomine falſam Monocerotis hiſtoriam credat. Verùm illæ alii loco reſervari debent, in quo id agimus unicum. Quamquam verò in dignitate & excellentia Unicornis exceſſerint fidem ſcriptores peregrinis rebus fucum adornantes, famæ tamen longinquæ id adſcribendum, quæ certam & indubitatam rem propriis induit conditionibus. Nec enim ille fucus uni Aſino Monoceroti contigit. Omnia invaſit quæcunque veterum monumentis celebrantur.

In quorum fidem nolo aliena arceſſere, quum ex Aſino Indico, quem pro vero agnoſcunt alioquin diſſentientes, abundè ſuppetant. Onagrum à feritate inſita vocant, de quo tanta exſtant miracula. *Plinius* lib. 28. cap. 15. in calculo frangendo ejus præcipuas par-

partes admiratur: *Præcipuum remedium traditur in calculo Onagri: quem dicitur, cum interficitur, reddere urinam liquidiorem initio, ſed in terra ſpiſſantem ſe. Hic adalligatus femini, omnes impetus diſcutit, omnique ſuppuratione liberat.* Cap. verò X. omnia Onagris efficaciora probat iis, quæ ab Aſino vulgari depromuntur. Reliqua quæ ab *Olao Magno* lib. 18. cap. 1. & 2. Onagro attribuuntur medicamenta, ut hic aliena, ſilentio prætermitto, quum Onagros ille lib. 11. cap. 36. Alces explicet, Septentrionalibus in quotidianum uſum venientes, quo jure aut vetuſtatis indicio ipſe viderit. Utramque enim feram multum inter ſe differre, & nominis origo, & natalis locus & forma diverſa evincet. *Iſidoro* teſte lib. 12. Orig. cap. 1: *Onager interpretandus* (ita enim, non interpretatur, legendum fortè) *Aſinus ferus. ὄνον quippe Græci Aſinum vocant, ἄγειον ferum.* Onager autem *Olai*, ſeu Alce, ad Cervum accedit potiùs quàm Aſinum, licet communi feritate conve-

niant.

niant. Quid verò inter Aſinum Cervumque interſit, non credo ignoraſſe *Olaum*. Natale Alces ſolum Boreæ ſunt partes, & quidem propriæ, eodem probante. At Onagros veterum montem qui Cappadociam à Lycia dividit non tranſiſſe fidem fecit *Plinius* lib. 8. cap. 58. imò Phrygiam & Lycaoniam præcipuam incoluiſſe teſtatur *Idem* cap. 44. & *Varro* lib. 2. de R. R. Et omninò remotiorem Africam, auctor *Solinus* cap. 27. *Iſidorus* lib. 12. cap. 1. Indiam quoque *Philes*. Formam diverſam ex naturæ venamur varietate. Onagri ex *Iſidoro* indomiti ſunt in deſertis vagantes, Alces contra Septentrionalibus ita domiti, ut pro equis adhiberentur, niſi ob arcana Regni interdicto prohibiti eſſent. De famis ac ſitis tolerantia tacent veteres, quam in Alce laudat *Olaus*, nec hic de Alcinæ carnis deliciis quidquam, quia caro Alcis dura & concoctu difficilis nobis viſa Hafniæ, nullâ ſaporis gratiâ, quæ Onagro planè ſingularis, non obſtante *Philete* qui

carnem ejus ἄβρωτον nuncupat, quem forſan *Iulius Scaliger* ſequitur. *Plinius* namque lib. 8. cap. 44. de his: *Pullis eorum ceu præſtantibus ſapore Africa gloriatur, quos Laliſiones appellant*: Quorum uſus & Romæ ante Mæcenatem frequens, *qui inſtituit primus in epulis Aſinorum pullos*, ut *idem* auctor eſt cap. 43. *multum eo tempore Onagris prælatos: poſt eum interiit autoritas ſaporis. Aſino moriente viſo, celerrimè id genus deficit.* Quæ mendoſa ut emendarentur manum medicam experta ſunt θαυμασίῳ *Salmaſii*; qui ita reſtituit: *ſapori: Laliſionum oriente uſu celerrimè id genus defecit.* Quia ſcilicet guſtui gratior erat Laliſionum caro, quàm Aſinorum pullorum, aut omninò Onagri.

Laliſiones pulli ſunt Onagrorum nondum ablactati ab infantum Lalla dicti, ſive ſono ſive articulatis partibus, de quo Lalla puerorum fuſiùs in *Antiquitatibus noſtris Natalitiis* datâ induſtriâ egimus. Inter cibos generis valentiſſimi, in quo plurimùm alimenti eſt,

*Cel-*

*Celſus* lib. 2. cap. 18. refert omnem grandem feram, quales ſunt caprea, cervus, aper, onager; ſic enim legendum, non ut in vulgatis *capra*, ex emendatione *Io. Rhodii*, qui unicus Celſianæ puritatis vindex, ſic in optimis Italiæ Codicibus MSS. deprehendit, maximéque in Florentino, quem jure cæteris omnibus præfert. Nihil denique de libidinis æmulatione notavit in ſuis *Olaus*, quam cum exitio etiam prolis propriæ in Onagris carpunt *Solinus* & *Iſidorus*.

Id verò de Aſini Cornu notandum ex *Æliani* lib. 4. hiſtor. Anim. cap. 52. Indis poculi vice fuiſſe principibus & potentioribus, quod, ut brachia, auro interſtinguere ſolerent. Cui ſimile quid, in poculo Michaëlis Imperatoris Conſtantinopolitani, admiratur *Philes*, ex cornu Onagri conſtructo, triplici orbe (ζωστῆρσιν vocat) diſtincto ſicut venulis marmoreis.

Armillas aureas majoris ſortis Viris reſervatas vel hinc apparet, quanquam

florente Republica Romana non adeò fuerint infrequentes. Solus L. Siccius Dentatus Oratione ad populum apud *Dionyſium Halicarnaſſeum* lib. 10. Antiq. Rom. jactat ſe ex acie reportaſſe torques aureos 83. armillas aureas 60. Et ſi credimus *Feſto*, Armillæ ex auro ut plurimum, quas Viri militares ab Imperatoribus donati gerebant, in quo tamen diſſentit hiſtoria *Liviana* L. Papirii Conſulis, qui Equites omnes ob egregiam in bello operam armillis argenteis tantùm donaſſe fertur. Quod fecerat & Severus Imperator apud *Iulium Capitolinum* in Maximin. *Natali Getæ, filii minoris, Severus militares dabat ludos propoſitis præmiis argenteis, id eſt, armillis, torquibus, & balteolis.* De quibus in Schedio noſtro *de Armillis* Veterum plura egimus.

At Indorum proceres ob uberiorem auri proventum ut aureis dextralibus brachia, ita cornua potoria ornabant circulo aureo, eum ſine dubio in modum, quo aliis ejuſdem metalli circu-

lis,



AUREUM
*Sereniſsimi Principis*
CHRISTIANI QVINTI
CORNU.

lis, tam aureum Sereniſſimi Danorum Principis CHRISTIANI V. Anno Chriſti 1642. in Cimbria noſtra repertum cornu diſtinguitur, (cujus Iconem ex *VVormii* monumentis hic damus) quàm alterum coronis ex argento deauratis per intervalla decoratum, quod ex Muſæo Viri undequaque Maximi D. *Iacobi Matth. Arhuſii* Affinis noſtri, in Auream ſuam Diſſertationem advocavit ſæpiùs nominatus *VVormius*.

Hujus aurei Cornu occaſione cornua animantium memoriæ obverſantur, quæ auro ad ſacrificium ſignata veterum ſuperſtitio induxit. Græci quidem omnes, præter Lacedæmonios apud *Platonem* in Alcibiade. De quibus accipiendus *Homerus* Odyſ. γ.

— Χρυσὸν κέρασιν περιχεύας.

Nec aliter Romanorum ſacrificuli, ut teſtimoniis evincam, *Virgilii* lib. 10.

— *Aurata fronte juvencum.*

*Martialis* quoque lib. 9. Epig. 42.

*Caſurum tibi ruſticas ad aras*
*Ducam cornibus aureis juvencum.*

Nec non *Tibulli* Lib. 4. Eleg. 1.

*— Nec illis*
*Semper inaurato taurus cadit hoſtia cornu.*

*Valerii Flacci* lib. 1. Argonaut.

*— dabit auratis & cornibus igni*
*Colla pater —*

Planè ad rem *Seneca* in Oed. v. 135.

*Aureo taurus rutilante cornu*
*Labitur.*

Et alter lib. 1. de Ben. *Nec in victimis quidem, licèt opimæ ſint, auroque præfulgeant.* *Trebellius* quoque *Pollio* in Galieno: *Proceſſerunt etiam altrinſecus centeni albi boves cornibus auro jugatis.* Quo fine apud *Varronem* lib. 6. LL. *cornutam umbram*, optimè ex antiquo libro emendat *Auſonius Popma*, *Cornuat aurum*, quòd cornu hoſtiæ auro induxerit. Nec boum tantùm, ſed & caprarum cervorumq́ue cornua auro ornarunt. *Pindarus* Olymp. Ε'ιδ. γ.

Χρυσόκερων ἔλαφον.

Seu Auricornem cervum. De priori *Euripides*:

Τάν τε χρυσοκέρηνον,
Δόρκαν ποικιλόνωτον.

*Aureo quoque capiti decoram*
*Maculoſam capream.*

Et celebris alia aureis cornibus fertur, quam vivam adducere tertio Herculis labori datum, apud *Anonymum* de certam. Herculis cap. 3. *ab Allatio* ex *Vaticana* bono publico divulgatum.

---

## CAP. XIX.

*Equi Monocerotes diverſorum locorum.*

ANdreas *Marinus* juratus Cornutorum animantium hoſtis, equos Unicornes Novi orbis ſcrutatoribus viſos negat, & quanquam viſi ſint, ignorari, ſi ſint *Æliani* ſimiles, quòd hic non deſcripſerit nec Equum, nec ejus Cornu, ſed ſolùm narrarit ab aliis audita. Ad hæc cornuum hanc virtutem ab incolis Regnorum Indiæ nuſquam hodiè deprædicari. Rei veritas, ut

fatear, hic difficilior ob auctorum vel negligentiam vel ignorantiam. Eadem tamen *Marino* de Aſinis reſponſa, pro Æquis quoque militant, mutatis tantùm nominibus. Ab incolis Indiæ hodie cornuum equinorum virtutem ſileri me non movet, quum res notæ plenas buccas non requirant, aut verborum ampullas. Quis enim uſquam terrarum, omnium planè cornuum peculiarem adverſus venena vim ignorat, ut deprædicando Equino cornu, nihil præ aliis cornibus ſigulare promittente, ſuperſedere poſſint. Nec pro vero accipimus equum talem viſum nunquam. Narrat enim *Io. Euſebius Nierenbergius* lib. 7. hiſtor. Natur. adm. cap. 2. ſe in aula Philippica equum quendam Cornutum vidiſſe. Ex Indis forſan allatus, cum quibus maximum exercent commercium. In ſtabulo Principis Stiliani equum vidit ſuperioribus annis *Leo Allatius* Vir doctiſſimus; magnitudine exilem, ſed ferociâ ſummum, cui poſt aurem dextram incurvum cornu exſtabat.

bat. Cui ſimilem, niſi idem fuerit, ſe obſervaſſe Neapoli *Nicolaus Angelus Eliſæus* Gymnaſii Regii Profeſſor ſubtiliſſimus nobis narravit. Ipſi vidimus in Equili Sereniſſimi Regis Daniæ *Friderici* III. equum generoſum, cui ex auribus cornua nigra ſuccreſcebant, & ex deciduis nova ſemper generabantur, quæ clementiſſimè mihi Rex Auguſtus & monſtravit & donavit. Equus, cujus icona nobis dedit *VVormius* talis eſt, qualem verſâ paginâ damus. Taceo verò aliorum *Strabonis*, *Plinii*, & *Solini* auctoritates ab aliis pro cornutis equis propoſitas, quas verò Monoceroti applicandas ex inferiùs dicendis palam fiet.

## CAP. XX.

*Rhinoceros Bos. Bos Lucanus unde. Rhinocerotis naſus. Geographus MS. primo dilucidatus, mox caſtigatus. Æthiopum nomenclatura.*

DE Rhinocerotis noſtri nomenclatura diverſa apud antiquos



feruntur judicia. *Feſtus* enim auctor eſt Rhinocerotem quoſdam Bovem dixiſſe Ægyptium, forſan quòd in ſpectaculis à Pompejo Magno primus ſit exhibitus Romæ devicta Ægypto, ut narrat *Plinius* lib. 8. cap. 20. vel ab ipſo poſtea Auguſto apud *Dionem* lib. 54. & *Suetonium* cap. 39. Quòd verò Bovem dixerint, alia ex antiquitate ratio, apud quam, pro quovis animali juſtam magnitudinem excedente, Bovis nomen adhibebatur, ut vel ex ſolo Junonis epitheto apud Homerum clareſcit. Unde quum majus Romanis illis ſæculis animal longiori ſpiramento in urbe non comparuerit, bovis appellatione inſigniverunt Rhinocerotem, quem maximum credebant; ſuperioribus verò Reip. temporibus, Pyrrhi bello in Lucanis comparentibus Elephantis, primi hi Bovis nomen meruerunt, ob vaſtam corporis molem, quam in capite præſertim exprimunt nummi mei in Campania reperti, dictique ſunt Lucæ Boves ſeu Lucanæ, auctore

*Varrone* de R. R. lib. 2. cap. 3. *Solin. Polyh.* cap. 25. *Elephantes Italiæ Anno V. C. 472. in Lucanis primùm bello Epirotico vidit, & Boves Lucas inde dixit.* Quibus clarior accedit *Iſidorus* lib. 12. Origin. cap. 2. *Hos boves Lucanos* (alii Lucas legunt) *vocabant antiqui Romani: boves, quia nullum animal grandius videbant: Lucanos quia in Lucania illos primus Pyrrhus in prælio objecit Romanis.* Diverſam quidem vocis originem quærit *Baronius* in Annal. ad Anno Chriſti 58. Bovem nempe Lucam ab Italis eo tempore vocatam, alluſione facta ad figuram bovis Evangeliſtæ Lucæ tributam; ſed à Cl. *Salmaſio* in ſuis ad Solinum Notis improbatur, quia id nominis Elephanti longius ante natum Salvatorem aſſignatum, eo ſcilicet tempore quo Lucaniam infeſtis ſignis & feris intraret Pyrrhus, nec bovem ad Evangeliſtæ exemplum, Lucam vocarunt Itali, ſed Elephantem. Vulgatior tamen Rhinocerotis appellatio Græcis pariter & Latinis, à cornu quod

quod circa nares eminet, unde naſuti & alios adunco naſo ſuſpendentes Rhinocerotis naſum habere dicuntur, apud feſtiviſſimum *Martialem* lib. 1. Epigr. 4.

*Majores nuſquam ronchi, juveneſque ſeneſque*
*Et pueri naſum Rhinocerotis habent.*

Indos, tamen & Æthiopes patrio aliquo, cæteriſque gentibus ignoto nomine, domeſticum animal indigitaſſe, elegantiſſimus *Q. Curtius* lib. 9. cap. 1. exponit in Indiæ, poſt Porum devictum, delineatione: *Rhinocerotes quoque, rarum alibi animal, in iiſdem montibus erant.* Cæterùm hoc nomen belluis eis inditum à Græcis. Sermonis ejus ignari aliud linguâ ſuâ uſurpant. Quod quum taceat, noſtrum erit inquirere. Ab incolis Cambajæ & Patanæ *Gandas* vocari refert *Garcias ab Horto* lib. 1. cap. 14. Æthiopes ἄρου vel ἄρισι appellarunt, quod ex *Geographia Chriſtiana Medicæa* MS. eruo, ut ex verbis Auctoris ipſius eluceſcet: Καλοῦσι δὲ αὐ-

τὸ οἱ Αἰθίοπες τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ ἄρου ἢ ἄερσι, δασύνοντες τὸ δεύτερον ἄλφα, καὶ οὕτω προσθέντες τὸ ῥισί. ἵνα διὰ τοῦ μὲν ἄρου ᾖ τὸ θηρίον. διὰ δὲ τοῦ ἄερσι, ἀροτελᾶν. ἐκ τοῦ σχήματος τοῦ περὶ τοὺς ῥώθωνας, ἅμα δὲ καὶ τοῦ δέρματος, τὴν ἐπωνυμίαν αὐτῷ τεθεικότες. Quæ ita interpretor: *Appellant verò illud Æthiopes propria Dialecto* ἄρου *aut* ἄερσι, *aſpirantes ſecundùm alpha, & ità apponentes* τὸ ῥισί ſeu *naribus: ut per* τὸ ἄρου *quidem ſit animal, per* τὸ ἄερσι *verò arans, ex ſchemate circa naſum ſimul & cute cognomen ipſi ponentes.* Obſcurior Anonymi Geographi mens explicatione omninò indiget. Nominum diverſorum ratio ex duplici pendet principio, Naturâ & Arte Rhinocerotis. Naturali decore cornu in naribus prominens gerit, à quo ἄερσι dictus, à naribus quibus elementum illud primum cum ſuſpirio prætexuerunt Æthiopes. Ars terram vertere inſtar arantis docuit, vel certè ex mortui corio aſpero captarunt coloni, quam præcedentibus verbis inſinuavit *Anonymus:*

mus: ἔχει δὲ καὶ τὸ πάχος τοῦ δέρματος αὐτοῦ ξηραινόμενον, δακτύλους τέσσαρας, καὶ ἐξ αὐτοῦ ἔνιοι βάλλουσιν, ἀντὶ σιδήρου, εἰς τὰ ἄροτρα, καὶ ἀροτριῶσι τὴν γῆν. h. e. *Habet verò & craſſitiem cutis ſuæ exſiccatam, digitos quatuor, & ex illis aliqui ante vomerem in aratris projiciunt, & terram ſulcant.* Unde ἄρου ipſi natum nomen ab *arando*, ſicut à naturali naſi ornamento ἄρισι. Quam *Anonymi* obſcuri mentem exiſtimo, apud quem invertendus verborum ordo, ut ſententiæ propriæ pondus ſubſiſtat. Legendum enim: διὰ τοῦ μὲν ἄρισι ἦν τὸ θηρίον. διὰ δὲ τοῦ ἄρου ἀροτριᾶν. *Nam ex naribus denominationem feræ Unicornis habuit; ab arando verò aratoris;* quò etiam ſequentia videntur collineare, ſi Etymo *Anonymi* inſiſtamus, qui vi quadam ad Græcam originem propria Æthiopum pertraxit: quo vitio inter Latinos Grammaticos *Feſtus*, *Iſidorus*, aliique ex æquo tenentur, Græcorum origines ad Romanam progeniem reflectentes. Videntur ſanè potiùs ad *Hebraiſmò* lan-

lancem examinanda, in qua ἅϱισι cum קרש communi radicalium ductu æquum libramentum facient, ſi facili mutatione ק pro aſpirato alpha ſubſtituatur, eodem quo *Germani Daniqúe* modo aſpiratam in *Horn* ex C Latinorum derivarunt, קרש autem *Rabbinorum Talmudicorum* libris nobilitatum, per Animal unicum cornu gerens ab iis exponitur: quam tamen vocem per רם exprimit *Scriptura*, unde illud קרש ex Orientalium lingua communi in Talmud *Bauli* irrepſiſſe, ut plura alia, ſuſpicor, quum illud Talmudici ſcripti compendium, Babyloniæ ex Miſna illa antiqua, à *Rabbi Juda*, ſancto dicto, compoſitâ, contraheret, poſt deſtructionem Templi ultimam 470. circiter annis, par Rabbinorum *Raverà* & *Ravaſiè*, ut in Rituum Hiſtoria Part. 2. cap. 2. explicat R. *Leo Mutinenſis*. Sed nec opus eſſet huc confugere, apud Æthiopes enim vicina vox in uſu, quam facilè pronunciando, ut hodie inter omnes obtinet vo-

cum

cum modulatores, corrumpebant. Occurrit ea *Pſal.* 21. commate 22. in verſione Æthiopica antiqua, quæ Romæ prodiit, & in qua egregiam operam poſuit R. P. *Jacobus Wemmers* Antverpianus, edito accurato vocum Æthiopicarum Syllabo, ubi ቀርነ፡ አሐዱ። Ahadu Karnu, Monocerotem indicat communibus Orientalium radicibus.

---

## CAP. XXI.

*Rhinocerotis bina cornua. De iis in Geographo dubium. Cornua mobilia. Martialis approbatus. Rhinocerotis per partes deſcriptio, ubi corrigitur Geographus. Cornu Rhinocerotis Virtutes: ejuſdem dens, & cornu minus.*

AD Rhinocerotis porrò delineationem greſſus referamus, quem cum *Dione* lib. 51. hiſtor. Rom. & *Plinio* lib. 8. cap. 20. conſentit *Ælianus* mellitiſſimus animalium deſcriptor, ut à *Barthio* vocabatur, Elephanti magnitudine par eſſe animal, unico in nare cornu modicè inflexo, ſed tanti acuminis,

minis, ut ferrum & ſaxa penetret. In cornu tamen falluntur omnes, qui ſine pari Rhinoceroti tribuerunt. Bina enim geſtat evidentiora, majus in naribus, in fronte minus, quanquam in naribus utrumque collocet *Anonymus Geographus M. S.* in deſcriptione τῶν ζώων Ἰνδικῶν: τοῦτο τὸ ζῶον καλεῖται ῥινοκέρως, διὰ τὸ ἐν μυκτῆρσι τὰ κέρατα ἔχειν: *Hoc animal appellatur* Rhinoceros, *quòd in naribus cornua habeat.* Neſcio an forſan ſimilia viderit illis, quæ nos in Technicotheca Magni Ducis Hetruriæ Florentiæ vidimus, cornu nempe Rhinocerotis exiguum, ſed duabus eminentiis velut tumulis diſtinctum. Cornu in naſo Rhinocerotis duplex ex Muſæo *Swammerdammii* Senioris hic communicamus. De minori nihilo minùs intelligendum, quòd mox idem ſubnectit: Ὅτε δὲ περιπατεῖ, σαλεύονται τὰ κέρατα, ὅτε δὲ ὀργᾷ μετὰ θυμοῦ, ἀποτείνει αὐτὰ, καὶ ἀσάλευτα διείσκονται: *Quum verò ambulaverit, quaſſantur moventurque cornua, quando ve-*



*rò cum ira oculorum aciem intendit, extendit illa & dura firmaque inveniuntur.* Mirum enim, cornu ſolidum pro lubitu modò huc modò illuc moveri, pendulæ caudæ inſtar. De Phrygiis bobus quidem fidem facit *Ariſtoteles* lib. 3. hiſt. cap. 9. cornua, perinde ut auriculas, movere, idque quòd cuti potiùs quàm oſſi adhæreant. Et *Solinus* cap. 5. de Indicis tauris: *Hi quoque circumferunt cornua flexibilitate quà volunt.* Hæc tamen cornua ſolidam ubique ſervant ſubſtantiam, nec flacceſcunt, quanquam moveantur ad muſculi motum. Unde mea fert opinio, minus illud in fronte cornu his coloribus depinxiſſe Geometram Chriſtianum, quòd mollius eſſe poterat & fibroſum potiùs, ut receptâ per vehementiorem animi motum caloris & ſpirituum copiâ impleretur, & diſtentum dureſceret: cui ſimile quid Indicis noſtris gallinis & vermibus corniculatis uſu venit, in directum tenſis eminentiis, quæ cornua aliquâ ſimilitudine mentiuntur. Enimverò

verò quum de duris illis cornibus addidiſſet auctor *Incertus* : Ὥστε καὶ δένδρα δύνασθαι ἐκριζοῦν ἐν αὐτοῖς, ferè ad eorum alterum ità reſtringit : μάλιστα τὸ ἔμπροσθεν, quia id validius altero. Utrumque junxit in Rhinocerote *Martialis* lib. de ſpectaculis Epig. 22.

*Gravem gemino cornu ſic extulit urſum.*

Ubi cornu geminum non ad Rhinocerota flectit *Hadrianus Iunius*, ſed Urum, quem loco Urſi cum *Iano Douſa* ſubſtituit, majori ſpectaculorum miraculo. Sed hæc ex duplici cornu Rhinocerotis ignorantia dependent, quod ætas poſterior fidelius detexit. Ut retineatur Urſus, ſuadet frequens ejus in arena veterum rotatio, ab *eodem* Epigrammatographo Ep. 11. deſcripta. Cutis conditio diverſa obſervatur à veterum deſcriptione. Quippe in tergore ferebatur ſcutulata, & quaſi clypeis munita apud *Plinium*, ſecùs quàm id viderunt αὐτόπται. Chriſtianus ille *Geographus*, Monachus forſan & bonæ fidei, in Æthiopia præſens aliquot ſuis oculis

lis contemplatus eſt, ut ad calcem capitis enarrat: Τεθέαμαι δὲ καὶ ζῶντα ἐν τῇ Αἰθιοπίᾳ ἀπὸ μακρὰν ἱστάμενος, καὶ νεκρὸν ἐκδαρὲν, καὶ κατεγγισθὲν ἄχυρα, καὶ ἱστάμενον ἐν οἴκῳ βασιλικῷ, ὅθεν ἀκριβῶς κατέγραψα. h. e. Si in Latium transferas: *Vidi vero & vivum in Æthiopia è longinquo ſtans, & mortuum excoriatum* (ἄδορον enim, ſeu *pelle carentem*, puto reponendum,) *& propiùs aſtans parvum in aula Regia ſtantem, unde accuratè eum delineavi.* Vidit quoque non paucos tam caveæ incluſos, quàm in ſylvis oberrantes nuperrimè *Iacobus Bontius* Indiæ Orientalis Archiater. Uterque tamen de ſcutulato tergore piſce magis mutus. Prior enim craſſam fatetur cutem & exſiccatam, ſed ſine clypeis: Οἱ πόδες δὲ καὶ τὸ δέρμα παραπλήσιά εἰσι τῷ ἐλέφαντι. ἔχει δὲ καὶ τὸ πάχος τοῦ δέρματος αὐτοῦ ξηραινόμενον. Poſterior clarius per partes cutis conditiones exhibuit Notis ad *Garziam* cap. 4: *Cutis è nigra eſt cinèricia, inſtar Elephantinæ, rugoſa admodum cum plicaturis profundis circà latera*

*latera ac in dorſo: craſſam admodùm habet pellem, ut quæ ictu Iaponicæ machæræ facilè reſiſtat. Neque hæc beſtia ſcutis munita eſt, ut apud nos depingitur; ſed hæ plicaturæ hos clypeos mentiuntur, neque una pars durior eſt alterâ.* Colorem cutis è nigro cinericium vocat *Bontius*, quem alii buxeum dixerunt ex *Plinio* l. 8. c. 20. ut *Andream Marinum* mirer, id nominis apud veteres reperiri, fortiter negaſſe. Uſum nec corii nec carnis Rhinocerotis magnopere deprædicatum memini. Illius tamen ex naufragio Liguſtico ſervatas particulas, ob ſpectaculi novitatem, ad *Franciſcum Regem* Galliarum accolæ attulere, cujus hiſtoriæ ſeriem narravit in Obſervationibus *Amatus Luſitanus*. Et coctum in ſpiritu vini febribus ſanandis, ventriculi imbecillitate, Aſthmate, depellendiſque lumbricis impenſè laudant experti. Hujus verò eſu Mauri delectantur, neceſſitate fortean adducti, quum nervoſa planè ſit caro & dura, ferratoſque *Plauti* dentes, judice *Bontio*, poſtulet. Nec id videtur à veri-

veritate abhorrens, quia molliſſima alioquin animalium caro in delicata linguæ textura ſuperatur, quæ in Rhinocerote adeò ſpinoſa *Marco Paulo Veneto* & *Iacobo Bontio* fertur & aſpera, ut ſi irritetur, hominem ſimul ac equum tanquam pulicem proſtrata lambendo necet, dum aſperitate linguæ ſuæ cute ac carne ad oſſa uſque animalia denudat. Ob eam linguæ aſperitatem virgultis perquam ſpinoſis veſcitur, & herbis, ut inter herbatica animalia numeret *Solinus*, quòd crudivorum non ſit, nec ſanguinolentum, niſi ſtimulo injuriarum incitetur. In cujus veritatem pauca addit *MS. Geographicum*: Τοὺς δ' ὀφθαλμοὺς κάτω περὶ τοὺς γναθοὺς ἔχει. φοβερώτατον δέ ἐστι πάνυ. μάλιστα καὶ τῷ ἐλέφαντι πῶς ἀντικείμενον. *Oculos infrà circa maxillas habet. Valdè autem eſt terribile, maximè Elephanti, quando ei opponitur.* Hinc niſi juſtâ interpoſitâ diſtantiâ Rhinocerotem intueri auſus non fuit Geometra; ſed animo fortior juniori illi aulæ incluſo propior adfuit &

exco-

excoriato, in quam rem ipſa *Auctoris* verba ſuprà retuli, hic vel corrigenda vel explicanda. Parùm quippe cohærere videntur, καὶ κατεγισθὲν ἄχυρα ἢ ἱστάμενον, ubi multitudinis numerus ſimplici ſociatur. Α῎χυρα vel pro exiguis ætatis teneræ beſtiis, quas plures viderat, capienda, à paleæ exilitate tranſlatâ voce, vel pro ἄχυρα ſubſtituendum ἄχυμα, quòd forſan ſucco deſtituta fuerint & macilenta: ad quæ intrepidus ſine noxæ metu acceſſerat. Prior lectio meo arbitrio huic præferenda, ſi in numero ſingulo propter ſequentem Syntaxin ἄχυρον repoſuerimus. Parvus enim Rhinoceros, cujus generis in Magnatum educantur caveis, propiùs accedentem ætatis facilitate promptè admiſit. Sanguinis pretium ex vario effectu penſatur. Dyſenteriam enim fertur ſanaſſe, febrem, Aſthma & morſus venenatos, vermeſque depuliſſe pravis humoribus junctos. Reſtant cornua quæ in generis teſtimonium adferuntur, quorum ma-

jus uſibus humanis accommodatum recurvum eſt, teſte *Solino* cap. 43. cautibuſque attritum in mucronem exacuitur, colore variat, modóque nigrum, modò album, ex obſervatione *Iacobi Bontii* cap. 14. ad Garciam. Magnitudine varium paſſim offertur. Sed inter omnia eminet unum in Pharmacopolio *Corvinorum* Romæ, cujus altitudinem ſpithamis tribus cum quatuor pollicibus, craſſitiem duabus & ſemiſſe ibidem dimenſus ſum. Nec minus alterum inter rariora Magni Hetruriæ Ducis ſervatum, cui magnitudine diſpar feminæ Rhinocerotis, ut ferunt, cornu ſociatur. Eâ ſubinde eſt capacitate, ut in pocula Principum educendo vino apta tornetur, qualia inter Κειμήλια Mantuani Ducis olim oſtendebantur, & in Luſitania pervulgata, ut teſtatur poculum Reverendiſſimo Æmoniæ Præſuli *Iacobo Philippo Thomaſino* Ulyſſiponâ (ſive Oliſſiponâ, ut ut in Itinerario Provinciarum vocat *Antonius Auguſtinus*) à *Melchiore à Gra-*

*tia*

*tia* Protonotario Apoſtolico miſſum, cum aſſeveratione, minùs quidem quàm verum Unicornu pellendo veneno eſſe efficax, eoſdem tamen ſortiri effectus aquâ in ipſo infuſâ. Amplum ſanè id & capax, pollices duodecim cum ſemiſſe extenſum, politum & in poculi formam optimâ arte adaptatum. Altitudo intra tres ſubſiſtit digitos, colore gilvo, cornibus proprio, fuſcâ lineâ diſtinctum, & ſpithamam in diametro exporrectum. Ex qua deſcriptione beſtiæ magnitudinem quivis exputet, quæ eadem forſan eſt quæ Ulyſſiponæ Anno 1518. videbatur in *Relatione Ital.* MS. de occupatione Regni Luſitaniæ. Rhinocerotis figuram, qualem *Jonſtonus* adumbrat, verſâ pag. damus. Poculum ex cornu Rhinocetis in India eleganter elaboratum poſſidebat in Muſæo celeberrimus noſter *Wormius*, colore ſuccinum referens flavum, niſi quòd in fundo maculas quaſdam nigras oſtentet. Tantâ præterea virtute contra venena pollet, ut in lo-



cum Unicornu veri ſubſtituant *Garzias ab Horto*, *Monardes*, & V. Cl. *Franciſcus Pona* in novam Antidoti ſui compoſitionem Veronæ nuper adoptarit, ut cap. 15. de Venenis fatetur. Pilulæ quoque *Ferdinandi* Ducis Mantuani febribus malignis oppoſitæ idem inter alia admittunt. Quo titulo Alexipharmaci ſuum Rhinocerotis cornu in Muſæo ſuſpendit *Imperatus*.

Dentis virtutem non abſimilem mihi decantavit *P. Caſtellus*, quum dentem Rhinocerotis ex naturæ theſauro nobis Meſſanæ oſtenderet. Dentem ejuſdem molarem habuit inter rariora ſua ſæpe laudatus *Wormius*, quem ad dolorem dentium ſummè deprædicabat is, qui ex Indiis attulerat. De Pilulis Mantuanis, quæ Rhinocerotis cornu recipiunt, omninò legendum *Io. Baptiſtæ Spuntoni* Patavini Profeſſoris Eruditiſſimi de Viperino Pulvere Opuſculum, non ita pridem luci donatum. Nec minora promittunt ungulæ, ſi aliis credimus, ex iiſque confectus annu-

annulus nervis inſuper prodeſſe fertur. Quo modo ſi minùs placuerit, quintam ejus eſſentiam apud *Petrum Io. Fabrum* vide ſis in Myrothecio. Ne autem ſolita impoſtorum fraus nobis imponat, ſigna juvabit annotaſſe quibus dignoſcitur. Illa ex ſubſtantia ejus quaſi poroſa petuntur, & levi extremum verſùs flexurâ, ubi ſcalpelli aciem utrinque acquirit, radicem verò tenùs, reliquo corpore æqualiter aſſurgente, duæ ſuperſtant eminentiæ. Quæ conditiones quum ætatis regioniſque differentiâ ſæpiùs eludantur, ex graveolenti exuſtæ materiæ odore certiori indicio *Parens* cap. 3. id probat.

Minus alterum cornu, ut formâ, ita præſtantiâ, politum ferunt & nigrum, longum duos palmos, ſenſim in acumen deſinens, quod tamen durioris compagis expers, pro Rhinocerotis nutu modò flacceſcere credo, modò inflari. Duos in lata baſi ſinus efformat, parti, cui inhæret, impreſ-

ſos,

ſos, quos nutritioni ſpirituumque afſluxui in animi paſſionibus deſtinavit Prometheus.

## CAP. XXII.

*Monocerotis veri ſynonyma. Arabum Al. Rabini error. Geographi locus. Unicornibus robur proprium. Quid Cophtitis.*

STrictâ vocis ſignificatione venit in præſenti titulo Monoceros, pro animali ſui generis, cui unicum cornu, ex fronte eminet. Adeò omni ævo, omniumque auctorum ore celebrata fuit hæc fera, ut in eam ſpes omnes contuliſſe Natura videatur, minúſque de excidio Trojæ ſuæ fabuloſi Poëtæ cantarint, quàm de Unicornu bonæ fidei Auctores. Nomen ſanè pluribus commune, ut hactenùs juſtâ ſerie perſequuti ſumus, ſed animalium nulli propriè competit præter hoc, quod ſoper excellentiæ ſuæ conditionem ſolum in vocabuli hujus poſſeſſionem aſſeritur. Monocerotis tamen propria nomen-

nomenclatura tum animali toti, tum ejus cornu indita. Animal Monoceros ἀπὸ τοῦ μόνου κέρατος, *à ſolo cornu dictum*. *Iſidorus* lib. 12. Orig. cap. 2. *Monoceros, id eſt, Unicornis, eò quod unum cornu in media fronte habeat*. Ubi malè inſcitus ſcriba in *MS. Veneto* Canonicorum Regularium lib. 11. cap. 6. de diſciplina (ita enim & diviſit libros Originum & inſcripſit) ex litteraturæ Græcæ ignorantia illi ſæculo propriâ, ſubſtituit: Monoceron, i. e. Unicornus. Indorum Brachmanorum Dialecto Καρτάζωνον *Cartazonum* vocari audivit *Ælianus*. Gallis *Licornia*. Luſitanis Hiſpaniſve *Bara*, quod nomen Rhinoceroti preſſiùs applicant. Itali aliis nominibus ſignant, inter quæ *A. Baccius* mavult ad evitandam ambiguitatem eligere pronunciationem Arabicam *Alicorno*. Nam ال ferè nominibus præponunt Arabes, ad augendam ſignificationem, ſimulq́ue quaſi determinandam, & reſpondere puto Græcorum τοῦ, aliquâ uſus frequentiâ. *Iehova*

no-

nomini ferè ſemper anteponunt, quod ita ſcribunt الله aliiſque ſignificantiùs exprimendis, ut nonnunquam ter continuè repetant, quod ſolemnis illa inſcriptio omnibus ferè Arabum ſcriptis ante operis initium poſita demonſtrat: بسم الله الرحمن الرحيم. *In nomine Domini Miſeratoris Miſericordis.* Aliud in voce Itala *Alicorno* non eſt, quod ſapiat Arabiam. *Corno* enim à Latino *Cornu* deductum, quod huic Unicornu peculiariter aſſignatur, quanquam & Latinum illud Cornu radicales, ut vocant, literas, ſeu conſonantes, cum Arabico كرن communes habeat, unde Unicornu illis *BarKaran.* Abenſinæ الحر حدن *Alcheracheden*, quod *A. Bellunenſis* de animali interpretatur, quòd unicum in fronte cornu gerat, veneno contrarium. *Hebræis* ראם *Reem*, Chaldæis parùm diſſimile רים *Riim* nuncupatur, quibus nominibus ex ſacro Codice interpretandis crucem eruditis poſuit notionis ambiguitas. Nam modò Rhinocerotem transferunt, mo-

dò Monocerotem, dubiâ ſententiâ. Quod illis condonari poſſit; quibus eandem utriuſque animantis ſpeciem diverſo tantum nomine diſtingui animo ſedet. At reliquorum aliter ſentientium major culpa, ex utriuſque naturæ ignorantia. Craſſus omninò error *Rabbini* cujuſdam in Libro *Than Chuma* ראם *Reem* apud Moyſen in benedictione Balaam *Num.* 23, 22. 24, 8. per Dæmonem explicantis, fortitudinem autem per Angelos à volando ita dictos. De ſuperbia Rhinocerotis cum auctoribus tacet experientia: quippe innoxium fertur & ſedatum animal, hominumqúe imperio ſubjectum. Notior contra Monocerotis ſuperbiæ & ſævitiæ fama ex *Pſal.* 22. *Salva me ex ore Leonis, & à cornibus Unicornium humilitatem meam.* Ubi utraque *Gloſſa* Unicornu retinet pro certa ſuperbiæ nota. Neque Rhinoceros ſenſu omnium & viſu vulgatiſſimus tantoperè ob infrequentiam commendatur, quanquam *Garcias ab Horto* lib. 1. de hiſt. Arom.

cap.

cap. 14. ſibi viſum neget. Adeò autem rara Monocerotis ſpectacula, ut pro dilecto Filio in deliciis Patris & orbis habito, capiatur apud *Lyricum Regium* *Pſal.* 29: *Et dilectus quemadmodum filius Unicornuum.* Quod magna veri ſpecie ita exponit B. *Auguſtinus*: *Unicus Patris exinanivit ſe nobilitate ſuâ, & factus eſt homo ſicut filius Unicornis, id eſt, Iudæorum jactantium ſuam ſingularem juſtitiam.* Quæ nihilo minùs Moiſi, ut intrepido, accommodat in Paraphraſi *Lyra*: *Et Sarion, id eſt, filius, per quem intelligitur Moyſes à Deo prædilectus, ſicut filius, quaſi filius Rhinocerotis, id eſt, ita impavidus, ſicut Rhinoceros, quod idem ſignificat, quod Unicornis.* Ex ferarum non excuſanda mixtura, mutavit *Lyranus*, ut videtur, receptam Auguſtino Unicornis vocem, veſtigia B. *Hieronymi* dubio procul ſequutus, qui Rhinocerotis in Verſione vulgata meminit: *Et Sarion quaſi filius Rhinocerotis.* Rectiùs omninò *Auctor Geographiæ Chriſtianæ*, quiſquis ille ſit, in deſcriptione Animalium Indicorum,

quem manu exaratum ex Bibliotheca Medicæa pervolutavi, cum *Auguſtino* tribus Scripturæ locis Monocerotem ſervavit, quamvis ea de fortitudine & impetu exponat. Sic enim ille: Τοιαῦτα δὲ καὶ ἡ γραφὴ διηγεῖται περὶ αὐτοῦ λέγουσα. σῶσόν με ἐκ στόματος λεόντων, καὶ ἀπὸ κεράτων μονοκερώτων τὴν ταπείνωσίν μου. καὶ πάλιν, καὶ ὁ ἠγαπημένος ὡς υἱὸς μονοκερώτων, καὶ πάλιν ἐν ταῖς εὐλογίαις τοῦ Βαλαὰμ. αἷς εὐλόγησε τὸν Ἰσραὴλ, φησὶν ἐκ δευτέρου. οὕτως ὁ Θεὸς ὡδήγησεν αὐτὸν ἐξ Αἰγύπτου ὡς δόξαν μονοκέρωτος, αὐτῷ διὰ πάντων ἰσχὺν καὶ πεποίθησιν καὶ δόξαν μαρτυροῦσα τῷ ζώῳ. Quibus hunc Latinæ conſuetudinis uſum dedi: *Hæc etiam ſcriptura enarrat de ipſo dicens: Serva me ex rictu Leonum, & à cornibus Monocerotum humilitatem meam; Et rurſum: & dilectus ſicut filius Monocerotum; & iterum in Canticis Balaam, quibus benedixit Iſraëli, iteratò dicit: Sic Deus eduxit ipſum ex Ægypto ſicut gloriam Monocerotis, ipſi animali ſupra omnia robur, & confidentiam & gloriam teſtatura.* Omnium ſanè ore excellens

cellens Unicornium robur, pari ferocia junctum decantatur, quanquam nec deſint Rhinoceroti cornua, ſi, ut loquitur *Martialis* lib. ſpect. Ep. 22.

*Seque diu magnæ colligat ira feræ.*

Hoc eſt, ſi irritetur, ut nuperrima in Indis hiſtoria amici cujusdam ſui ab offenſo Rhinocerote ferè occiſi probavit *Iacobus Bontius* in Med. Indorum. Rhinoceroti Elephantum in publico ſpectaculo à Rege *Emanuele* Anno 1515. Ulyſſiponæ exhibitum ſuccubuiſſe ipſe ſuis oculis vidit *Damianus à Goes*, Eques Luſitanus, ut editâ pro Hiſpania contra *Munſterum* defenſione prodidit. De Octavio Auguſto notum ex *Suetonio* cap. 43. apud ſepta Rhinocerotem publicaſſe. Monoceroti tamen per naturæ excellentiam & perpetuas vires id adſcripſerunt notæ melioris *Interpretes*, non diſſentiente *Iobo* cap. 39, 14. *Nunquid volet Unicornis ſervire tibi?* Sic enim *Sanctes Pagninus* verterat, ante quem per Rhinoceroten plurimi expoſuerunt. Quo cum & *Eucherius* facit,

 licet

licet confuſis nominum proprietatibus, hoc fortis & robuſti Viri hieroglyphicum ex eodem annotet. Simili antiquæ conſuetudinis licentiâ, de Unicornis gloria ſcriptum extat *Deut.* 33, 17. *Sicut primogeniti tauri, decor ejus, & ut cornua Unicornis cornua ejus.* Quod B. *Hieronymus* ad Rhinocerotem flectit, approbante *Baccio* lib. 2. de Unicornu, quia Unicornis cornu, numero plurium non veniat, qui à tota contextus ſerie exprimendus erat. Sed hæc conjectura ingenioſa magis, quam neceſſaria. Cæterùm de voce ראם litigia ſacri idiomatis inopiæ debentur. Commodiùs diverſa nomenclatura antiqui Cophtæ utrumque Unicornis genus ſignarunt. Rhinocerotem vocant ⲠⲒⲬⲀⲢⲔⲒⲚⲞⲤ. Monocerotem verò ⲫⲁⲡⲓⲧⲁⲡⲛ̀ⲟⲩⲱⲧ nam ⲠⲒⲦⲀⲠ cornu denotat, ut ex ſcala magna ſeu Nomenclatore Ægyptiaco-Arabico nuper *Athanaſius Kircherus* primus harum literarum inſtaurator expoſuit, ductum Cophtarum, quos Ro-

mæ

mæ in operam communem adhibuit, ſequutus. Ut non leve pro Monoceroте argumentum ex ſcala illa antiqua & Cophtarum recentium confeſſione producere valeamus. Sed de voce Ebræa רְאֵם videndæ *Bootii* Exercitationes Biblicæ, qui fuſiùs de hoc animali in ſacris occurrente diſſerit. Nam *Bocharti* ſtudium omnes ſuperabit.

---

## CAP. XXIII.

*Unicornu in Cruce Chriſti. Stare Deorum. Ἔξεχον πῆγμα. Crucis partes. De ſuppedaneo conciliatio auctoris. Antennis cornua. Tertullianus tentatus. Librariorum in ſcribendo errores.*

COmmodè laudati ex Deuteronomio loci occaſione eruditæ antiquitatis veſtigium ex *Tertulliano* Patrum diſſertiſſimo eruam, qui Cornua & Unicornua illa Deuteronomii Chriſto ejuſque Cruci ſingulari ingenio & doctrinâ applicat. Libri enim contra Judæos cap. 11: *Chriſtus in illo ſignificabatur,*

*tur,*

*tur, taurus ob utramque diſpoſitionem, aliis ferus ut judex, aliis manſuetus ut Salvator, cujus cornua eſſent crucis extima. Nam & in antenna navis, quæ crucis pars eſt, extremitates cornua vocantur. Unicornis autem, media ſtipitis palus.* Quorum ſenſum ut penitiùs intueamur, quadruplici ligno crucem Chriſti, ut aliorum, compoſitam, auctoritate antiquorum oſtendendum, recto uno, altero tranſverſo, tum ſuppedaneo, & medio ligno incurvo. Quibus duo addunt *Patres* plerique, titulum nempe & truncum ſuppoſitum, de quibus nullum exſtat dubium. Sed ſuppedanei neceſſitas erat ad fulciendos pedes crucifigendi, ne pondere corporis ſolis brachiis innixus dilaberetur; forma hujus ſuppedanei tabellæ erat largioribus pedum plantis accommodata, quæ ſtipite medio ferè eminens ſuſtinebat reum. Et quamquam hujus vices funes ſupplere potuiſſe crediderit *Iuſtus Lipſius* lib. 2. de Cruce cap. 50. tamen quum in picturis ſculpturiſque priſcis veſtigium tabellæ

hujus

hujus extare ſando accepiſſet, quod & in Roma ſubterranea viſum poſt eum aliis, neque Cruci Chriſti illam auſus eſt denegare. Japonenſium cruces eâ ornatas 26. Franciſcanorum Monachorum crucibus ibi affixorum hiſtoria ad *Euſebium* notavit *Ioſephus Scaliger*, illiuſque alii plures meminerunt, inprimis *Nazianzenus* Tragœdia Χριστοῦ πάσχοντος, ſi ejus eſt auctoris,

— Ἥλωσαν χέρας,
Πόδας τε καθήλωσαν ἐν πηκτῷ ξύλῳ.

Graphicè id lignum depingit *Gregorius Turonenſis* de Gloria Martyr. cap. 6. *In ſtipite erecto foramen factum, pes quoque parvæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc verò tabulam, tanquam ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ.* Stantis hominis memoriam repetit, ut venerationem erga Deum etiam ad vitæ ſpiramentum perduraſſe oſtendat. Enimverò in Oriente erecta corporis figura ad majorem cultum ſpectabat, ut ſervato etiamnum more ſacra ferè ſtantes ſua peragant Hebræi, & Chriſtianorum non-

nonnulli. Unde ortum puto Ægyptiorum inſtitutum in cadaveribus ſepeliendis, quæ ad majorem quandam religionem in pedes recto poſitu adhuc in Pyramidibus viſuntur, quod & annotarunt *Herodotus* in Euterpe, *Silius Italicus* lib. 13.

*——— Ægyptia tellus*
*Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo*
*Corpora ———*

Cæterùm idem ſuppedaneum πῆγμα agnovit & *Iulius Firmicus* cap. 29. *Petrus* quoque *Molinæus* cap. 2. de Peregrinationibus ad *Gregor. Nyſſeni* Epiſtolam; quo indice tabellam hanc tetigiſſe *Plautus* in Muſtell. A. 2. Sc. 1. creditur.

*Et dabo ei argentum, qui primus in cruce excucurrerit.*

Nam quomodo potuit in crucem ſons inſilire aut excurrere, niſi eſſet lignum, cui rectus inſiſteret? Suppedaneam tabellam cruciario ſuppoſitam in Templo Hageſtedano habemus, cujus figuram è regione damus. Quartum demum lignum è medio ſtipite exſurgens, veri

Uni-



Unicornis nomen meruit, ob curvatam ad ſuperiora figuram, quæ medium damnati corpus ſedilis inſtar, in cruce ſuſtinebat. ἐξέχον πῆγμα *à Iuſtino Martyre & Ioſepho Scaligero* vocatur, cui etiam in Japonum crucibus inſidet crucifigendus. Partem tamen fuiſſe ſuppedanei à medio deorſum vergentem contra Scaligerum urget *Petrus Lanſſelius* Societ. Jeſu Cap. 2. Diſpunctionum Calumniarum *Caſauboni* contra Baronium in locis ad Juſtinum, quem interpretatur, attinentibus. Verùm enimverò aliud ſuadent Collega ejus *Iacobus Gretzerus* lib. de Cruce, *Iuſtinus Martyr*, & *Irenæus*, ex quorum verbis partem ſuppedanei non eſſe, ſed ab hoc & uſu, & formâ, & ſitu differre, videor mihi colligere. Uſus Πήγματος ἐξέχοντος non eſt pedes ſuffulcire, ſed loco vehiculi eſſe, ſeu ὀχεῖν, & quietis, unde ad hos uſus forma rotunda, vel inſtar cornuum reflexa, non in tabellas latas aptabatur, quo velut rheda aut curru, diſtentis quantùm oportebat cru-

cruribus, veheretur, vel cui inequitaret reus. Quibus præmiſſis, alium à ſuppedaneo *pegma* in cruce ſitum occupabat. Hoc enim pedibus, illud abdomini ſubſtratum, longiori ab illo diſtantiâ remotis. Sed noſtrarum erit partium ex *Iuſtini* & *Irenæi* ſermonibus rem totam ob oculos ponere. *Ille* quidem Dialogo contra Tryphonem Judæum accuratè hac verborum formulâ Unicornu adumbrat: Μονοκέρωτος κέρατα οὐδενὸς ἄλλου πράγματος ἢ σχήματος ἔχοι ἄν τις εἰπεῖν, καὶ ἀποδεῖξαι εἰ μὴ τοῦ τύπου, ὃς τὸν σταυρὸν δείκνυσιν. ὄρθιον γὰρ τὸ ἕν ἐστι ξύλον, ἀφ' οὗ ἐστι τὸ ἀνώτατον μέρος εἰς κέρας ὑπερηγμένον, ὅταν τὸ ἄλλο ξύλον προσαρμοσθῇ, καὶ ἑκατέρωθεν ὡς κέρατα τῷ ἑνὶ κέρατι παρεζευγμένα τὰ ἄκρα φαίνηται. καὶ τὸ ἐν τῷ πηγνύμενον ὡς κέρας καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστὶν, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι. καὶ βλέπεται ὡς κέρας καὶ αὐτὸ σὺν τοῖς ἄλλοις κέρασι συνεσχηματισμένον, καὶ πεπηγμένον. Quorum hæc eſt Interpretatio: *Unicornis cornua nemo alterius cujuſquam rei aut figuræ dixerit, vel*

*vel oſtenderit eſſe ſimilia, quàm typi crucem deſignantis. Rectum enim unum eſt lignum, unde ſumma pars in cornu attollitur, quum ei aliud lignum aptatur, & utrinque extremitates, tanquam cornua uni iſti cornu adjuncta apparent, & quod in medio impactum eſt lignum, ipſum etiam inſtar cornu eminet, in quo vehuntur qui crucis ſupplicium ſubeunt, & cum aliis cornibus junctum, & conformatum ipſum quoque ut cornu conſpicitur.* Cornua vocat ſingulas Crucis extremitates, quemadmodum plerique Veterum Patrum, qui locum illum *Habac.* cap. 3. *Splendor ejus ut lux erit; cornua in manu ejus*; de cruce Chriſti interpretantur ut *B. Auguſtinus* lib. 18. cap. 32. *Cornua in manibus ejus quid eſt niſi tropæum Crucis?* Idem firmat *Iulius Firmicus*, & in Oratione quadam de paſſione Chriſti expendit *Caſp. Barlæus* Heliconis amor. *Irenæus* verò lib. 2. cap. 42. brevibus eandem rem complectitur: *Ipſe habitus crucis fines & ſummitates habet quinque, duas in longitudine, & duas in latitudine, & unum in medio,* ubi

requi-

*requieſcit qui clavis affigitur.* Certè requieſcere non dicitur in pedes erectus, ſed qui majorem corporis ſolidi molem aliquo fulcro ſublevat. Aliqua tamen huic Unicornu contraria præconcipere videor ex antea laudatis pro me auctoribus, quæ facili negotio ex ingenio expediam. A ſuppedaneo enim diverſum ſitum non obtinere utriuſque in medio ſtipitis locus comprobat, quem ferè utrique aſſignant, nec uſquam quatuor lignorum diſtinctorum junctim extant documenta. Sanè ubicunque medii ſtipitis locus affertur, pro Unicornu noſtro poſſet explicari, ſi diligentiori auctorum inſpectioni vacaremus. Quòd ſi ſuppedaneum quoque alibi in medio impactum reperiatur, jam duplici termino crucem dimetiemur, ut duplex medium inveniatur; vel enim in erecto ſecundùm longitudinem ligno medium diſtinguemus pro Unicornu illo medio; vel à prima ligni transverſalis ſeu antennæ diviſione medium ſuppedaneum circa pedes inveſti-

veſtigabimus, idq́ue ut amicâ concordiâ differentes loci componantur, quum facilè medium etiam prope pedes terminetur in cruce altiſſima, qualem ex antiquitate operoſiùs in *Diſſertatione noſtra de latere Chriſti aperto* demonſtravimus. Sed quòd quarti ligni ſeu ſuppedanei mentionem neglexerint, alia ratio, me judice, fuit: quanquam ſubinde neutrius meminerint, utpote minorum crucis partium, ut in Carmine *B. Cæcilii Cypriani* de ligno crucis:

*Arboris hæc ſpecies uno de ſtipite ſurgit,*
*Et mox in geminos extendit brachia ramos,*
*Sicut plena graves antennæ carbaſa tendunt,*
*Vel cùm disjunctis juga ſunt ad aratra juvencis.*

Et apud *Iulium Firmicum*, de error. prof. relig. *Cornua nihil aliud niſi venerandum ſignum crucis monſtrant. Hujus ſigni uno extenſo ac directo cornu mundus ſuſtentatur, terra conſtringitur. Et è duorum quæ per latus vadunt compagine oriens*

tangi-

*tangitur, occidens ſublevatur.* *Innocentius* quoque Papa ſerm. 1. de uno Martyrio, utrumque omittit lignum, & in horum locum truncum ſupponit, & titulum ſuperpoſitum, quod ante eum *S. Bernardus* lib. de Paſſ. cap. 46. fecerat. Nempe nec cornu erat ſuppedaneum, nec ejus nomine dignum, quod per myſticum ſenſum ex cruce eruebant Sancti Patres. Non cornu; quia neque inflexum, neque acutiori formâ, ſed erectum in tabellam latam pedibus ſuſtinendis aptam exſtabat. Extremitates autem reliquæ appellatione cornuum fuerunt inſignitæ, quia acutæ forſan & in ſummo eminentes, non aliâ ratione ac antennis ſupremis cornu applicant *Tertullianus* l. d. *Iſidorus* lib. 19. Orig. cap. 2. *Cornua extremæ partes antennarum ſunt, dicta per tropum ab animali ad inanimale.* *Virgilius* lib. 3. Æneid.

*Cornua velatarum obvertimus antennarum.*

*Lucanus* l. 8. Pharſ. v. 193.

*Iuſto vela modo pendentia cornibus æquis*
*Torſit.* ———

Nec non *Artemidorus* lib. 2. Oneir. cap. 12. de Tauro: *Similis eſt malo navis, & toti ipſius ſtructuræ*, διὰ τὰς βύρσας καὶ τὰ κέρατα, quæ cornua poſtea cap. 23. per τὰς τοιχάρχας in ſomno interpretatur, hoc eſt, ut vertit *Cornarius, lateribus præfectos.* Et *Valerius Flaccus* Argonaut. lib. 1.

— *Antennaque lævo*
*Prona dehiſcentem cornu cum ſuſtulit*
*undam.*

Eâdem curvitatis ratione cornua *Celſus* lib. 7. cap. 26. nominat plagas lunatas in calculi ſciſſione; quæ lib. 8. c. 4. etiam de lunato ſinu profert. Unicornu autem utroque nomine medium lignum notat, partim quòd incurvum emineat, & acutum, quale video in annexa figura Crucis optimè expreſſiſſe nuper *Ioh. Mich. Dilherrum* in Notis pereruditis ad Crucifixionem; (ſive acutum fuerit eâ parte qua Chriſtum ſuſtinebat, quod contra *Dilherrum* pernegat

Nic.

*Nic. Fontanus* in Epiſt. ad *Bartholdum Nihuſium*; ſive eo loco quo extra eminebat & conſpicuum ſe præbebat, quod verò propius exiſtimarem ego, quanquam acutam crucem apud Auctores quoſdam inveniam fuiſſe in erecto ſtipite Chriſti dorſo applicitam) partim quòd ſine pari in medio ſtipite, velut in media animalis fronte exſtet; ita enim ultima *Tertulliani* verba, obſcura ſatis, interpretor, in quibus emendandis ſudarunt Viri acutiſſimi, *Beatus Rhenanus*, qui exponit: *Unicornis ſecundùm media, i. e. mediam ſtipitis partem palus*; & nuperrimè *Georgius Calixtus* Germanorum doctiſſimus in Notis ad Lipſium de Cruce, legere mavult: *medio ſtipitis.* Ego eâdem manente ſententiâ, *medius ſtipitis*, ſcriptum fuiſſe puto, ſolito Librariorum errore, qui elementum primum *a* pro *us* ſubſtituerunt ob formæ affinitatem, *us* enim compendii ſtudioſi modò ternarii numeri nota 3. in fine ſcribebant, modò ſemicirculo ↄ puro, modò in ſuperiori cornu oculato

lato caudâ productà 9, ut ex libris meis antiquis manu exaratis, item quos Bibliothecæ Italicæ paſſim ſuppeditarunt, expertus didici; quas notas pro elemento ſimili ab imperitis ſcribis in codicibus inductas non falſus credo.

---

## CAP. XXIV.

*Variorum de Unicornu teſtimonia. Rarum animal, ut Phœnix. Balſami infrequentiâ adjuvatur. Tribus Joſephi inſigne. In nummo Alexandri expreſſum itemque in Columnis Æthiopiæ. Columnarum genera varia. Veraque Monocerotis imago: & alia.*

AD rem ipſam devoluto auctorum teſtimoniis, experientiâ & ratione, Monocerotis animal vel eſſe vel fuiſſe, probare opera non tralatitia incumbet, in gratiam venerandæ antiquitatis, quum nihil ſit de quo magis dubitant oculatæ manus. Agmen auctorum ducat *Strabo* Geographus, qui ex Oneſicrito equorum Unicornium in India naſcentium, ſeu Monocerotum ad

ad equos toto ferè corpore acceden-tium, meminit lib. 15. ἵππους τε λέγει μονοκέρωτας, ἐλαφοκράνους, ſeu Cervino capite. Quod in vero Monocerote agnoverunt *Plinius*, *Solinus*, *Varthemanus*, & *Cardanus*. Singularis hic eſt *Philes* in capite Monocerotis, quod Leoninum deſcribit his Iambis :

Οὐρὰν συὸς δὲ, καὶ λεόντειον στόμα,
Καὶ θεῖν μὲν ἐξεῖς, ἀλλ' ἀνάρθρους, τοὺς πόδας.
Ἀσπάζεται δὲ τοὺς ἀπανθρώπους τόπους,
Καὶ ζῇ παροικῶν, καὶ πλανώμενος μόνος.

Hoc eſt, ex verſione *Berſmanni* :

*Caudaque aprum, rictu Leonem præferat.*
*Ideoneoſque curſibus licet rudes*
*Geſtat pedes, amatque ſolitudines,*
*Saltuſque ſolus pervagatur devios.*

*Plinius* diligentiori colore adumbrat lib. 8. cap. 21. *Aſperrimam autem feram Monocerotem reliquo corpore equo ſimilem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum duûm eminente.* Hunc ſequutus, ut in omnibus, preſſis veſtigiis *Solinus*

*linus* lib. Polyhiſtor. cap. 51. de India refert: *Atrociſſimum eſt Monoceros, monſtrum mugitu horrido, equino corpore, elephanti pedibus, caudâ ſuillâ, capite cervino: cornu è media fronte ejus protenditur, ſplendore mirifico ad longitudinem pedum quatuor, ita tamen, ut quidquid impetat, facilè ictu ejus perforetur. Vivus non venit in hominum poteſtatem: & interimi quidem poteſt, capi non poteſt.* Condonandum *Polyhiſtoris* arbitror impetui, quòd ordinariâ Naturæ lege productum animal, ſine conformatione partium principalium vitioſa, monſtris annumerarit rarò neque ex parentum ſemine efficientiſve dominio enatis. Utriuſque verò tam *Plinii* quàm *Solini* fidelis aſſecla *Iſidorus Iunior* lib. 12. cap. 2. ab illa ſæculorum fama non receſſit, licet cum Rhinocerote imprudentiùs confuderit Monocerotem, eodem cornuum numero deceptus. Ità verò ille: *Idem & Monoceros, id eſt, Unicornis, eo quòd unum cornu in media fronte habeat pedum quatuor: ita acutum & validum, ut quicquid impe-*

*impetierit, aut ventilet, aut perforet. Tanta autem eſt fortitudinis, ut nulla venantium virtute capiatur.* Quod de inimicitia Elephantum interſerit optimo conſilio expungo, ut alienum ex falſo ejuſdem feræ utriuſque naturæ principio ortum. *Marcus Paulus Venetus* Magno Can Tartariæ à ſervitiis in Regno Baſma vidiſſe ſe ſcribit Monoceroten lib. 3. cap. 15. de Orient. Reg. ſed ex ea quam edidit delineatione Rhinoceros ſine dubio fuit ab eo pro Unicornu viſus. Id quod intelligendum quoque venit de iis quos in Regno Lambri conſpici affirmat. Elephante enim minores, depreſſum caput gerentes aprino ſimile, ſpinoſa lingua, qua obvia petunt, nigricantibuſque oculis, Rhinocerotis formam ad unguem æmulantur. Idem de Monocerote ſit judicium, quem verſus extrema Aſiæ deſcripſit cap. 10. *Æneas Sylvius Picolomineus*, poſtea *Papa Pius ſecundus*. Majoris fidei hic erit teſtimonium *Ludovici de Varthema* Bononienſis, qui ſæculis ab hoc duobus to-

tum Orientem curioſè luſtravit, Ægyptum, Arabiam utramque, Æthiopiam, & Indiam, quâ terrarum amplitudine patet, ut Itineris totius oſtendit ſeries, quam Ethruſco ſermone conſcriptam *Agneſinæ Feltriæ Colonnæ* Albaniæ & Taliacotii Dominæ delicaverat. Is verò *Varthema* quum Mecham ſplendidam Arabiæ deſertæ urbem cum ſociis Mamaluccis itineris ordine perveniſſet, luſtrato prius celebri Mahomethi templo, ad aliud latus fani converſus Monocerotes binos clauſtris incluſos vidit ſimul & conſideravit, ut teſtabuntur verba lib. 1. de Arab. cap. 18. pag. 20. quibus brevi textu Romanum calamum mutuabor: *Ex altera templi nominati parte clauſtra ſunt quibus bini Monocerotes vivi includuntur, qui pro re ſingulari, ut ſunt, monſtrantur. Eorum hæc forma erat. Major equinum pullum 30. menſium imitatur, unumque in fronte cornu præfert trium circiter ulnarum. Alter Monoceros equuleo unius anni ſimilis, cornu quatuor palmarum habet.*

*bet. Color feræ, ut equi ſagmati obſcurior, capite cervino, collo brevi rariſque circa illud pilis & brevis juba ab altero tantùm latere dependente. Crus ſubtile habet, gracile hinnuli inſtar: Pes anteriori parte parùm fiſſus, ungula verò caprina, pediſque dextrum latus piloſum. Enimverò feritatem præ ſe fert & naturam ſolitudinis amantem. Uterque autem Sultano Mechæ Domino oblatus fertur pro re pretioſiſſima & theſauro aliis præferendo, à Rege quodam Æthiopum ſeu Mauro, ut cum eo arctiorem affinitatem iniret.* Propiora ſi velimus exempla, ætates excutiemus viciniores eorum qui Eoum diligenter luſtrarunt. *Bernardus Breitenbach* Itineris Orientalis Illuſtris Johannis Comitis de Solm Ann. Chriſti 1483. inſtituti fidus Interpres, non procul à monte Sinai & Ramathpin 20. Septembris vidiſſe ſe teſtatur Animal, Camelo majus, quod Unicornu eſſe itineris ductor aſſeveravit, Arabs nempe & locorum illorum peritiſſimus, ut in ampliorem rei viſæ fidem eodem itinere teſtatur *Felix Faber.* Pari veri-

tate *Leonardus Rauchwolff* Auguſtanus Medicus, in Oriente audiviſſe ſe narrat à Perſa, Sophum Perſarum Regem Unicornua aliquot Samarcandi alere, cui ideò majorem judicavit adhibendam fidem,. quòd alia plura ex Perſia ſecum attulerit de quibus *Theophraſtus* ſcripſerat. Iter verò illud cum ſociis Anno reparatæ ſalutis 1573. abſolvit. Ab illis ſequentia proximè tempora non abhorrent, ſi auctores noſtros ad partes vocemus; inter quos eminet in India verſatiſſimus *Garzias ab Horto*, Proregis eo loci Medicus, qui quanquam oculis propriis non uſurparit Monocerotem, utpote rariſſimum, attamen quæ de eo à Viris fide dignis accepit, nec nos nec poſteritatem voluit ignorare, ut ejus perhibet diſſertatio Lib. 1. Hiſtor. Arom. cap. 14. his verbis concepta: *Inter promontorium Bonæ ſpei, & aliud Promontorium vulgò* de Currentes *nuncupatum, vidiſſe ſe affirmabant terreſtre quoddam animalis genus, licet mari etiam delectaretur, quod caput & jubam*

equi

*equi haberet (minimè tamen marinum eſſe) cornu præditum duos palmos obquum longo, mobili, quodque nunc in dextram, nunc in ſiniſtram obverteret; modò illud attolleret, modò demitteret.* Sanè ſi novum Monocerotis genus non conſtituat, quod tamen cum *Parente* cap. 2. num. 2. exiſtimo, vel ad Rhinocerotem vel Monocerotem referendum. Rhinocerotem eſſe perſuadent cum Elephante perpetua pugna, & cornu mobilitas; ferociter enim cum Elephante præliari tradit idem *Garcias*, & extendi cornua contrahiq́ue pro diverſo animi impetu in Rhinocerote ſuprà notavit *Geographus Chriſtianus MS.* In cenſum Monocerotum vocat tam juba equi & corporis ad equum ſimilitudo, quàm ſingularis adverſus venena vis in cornu ejus laudata; eam enim, quanquam recentiores agnoverint in Rhinocerote mariniſq́ue, antiquiores ignorabant. Sed quicquid de dubia ſit virtute, forma ad Monocerotem accedit propius, ſi ſui generis amphibion non ſit, ut

principio Libri ſtabilivit *Parens. Ludovicus de Urreta* Ord. Prædicatorum in Hiſtoria Æthiopiæ Hiſpanica 1610. Valentiæ divulgata lib. 1. pag. 247. teſtatur Unicornu in Goyame & montibus Lunæ reperiri, ſed quia montes illi inacceſſibiles, paucos ideò videri. Cornua tamen in ſylvis ibidem inveniri, quæ ut cervi quotannis mutant. Hæc ab anteactis ſæculis de Monocerote fide digna traduntur monumenta eorum, quibus animal ipſum videre præſentibus contigit. Parcior noſtrorum temporum hujus obſervatio peregrinantium culpâ & feræ raritate. Enimverò per loca illa deſerta Indiæ Monocerotum habitacula vel pauci itinere feruntur, vel delati illuc citiùs pertranſeunt quàm canis Nilum; unde noſtro ævo de Unicornu incertior fama, non culpa Naturæ deficientis, ſed locorum & pertranſeuntium. Teſtantur id ex Regno Chinæ reliquiſque Indiæ locis in Europam noſtram ſubinde reverſi nautæ Mercatoreſque, quos,

quum

quum furtivo pede itinerum vaſtitatem emetirentur per deſerta Arabiæ, & incultas aliis ſolitudines ob fugæ metum, in ſylvis biviiſque feram hanc Monocerotem, ut vulgò depingitur, non ſine terroris ſenſu vidiſſe accepi, ſed tanta eſſe pedum velocitate, ut ex oculis derepentè ſubducta accuratiorem ſpectantibus ſui contemplationem præripuerit. Neque Unicornis hiſtoriam rectè negaremus, eò quòd à paucis obſervetur animal. Rarum quippe eſt & mortalium experientiæ infrequens, partim quòd ſylvas petat & penitiora deſerti loca quò pauci pertingunt, partim quòd in hujus generatione parcior ſit Natura in pretioſis rebus paucitate contenta. Scilicet ex harum rariori effectu deſiderium in hominum mentibus excitat, & majeſtatis quandam ſpeciem affectat in iis quæ paucis ſine tamen reliquorum vitæ periculo, communia voluit. Paria aliàs præſtitit, ne exemplis careamus. Phœnicem patrem ſimul & ſui prolem, qui, ut

ſuaviſſimus Poëtarum canit *Claudianus*:

*Membris trivit redeuntibus ævum,*
in ſe generis ſui multitudinem complectitur & fœcundâ morte ſeneſcens in novos ortus reſurgit. Eo ſubinde apparente, miraculi loco habuerunt, ut hodierni Monocerotem. *Tacitus* lib 6. Annal. *Paulo Fabio, L. Vitellio Coſſ. poſt longum ſæculorum ambitum, avis Phœnix in Ægyptum venit; præbuitque materiam doctiſſimis indigenarum, & Græcorum, multa ſuper eo miraculo diſſerendi.* Unionum rarior captura, reliquorumque quibus ex raritate precium majus ſtatuimus, ad quæ deſcendere in præſens non vacat. Balſami veri rarus fuit omni ævo & ſuccus & ſtipes. Fruticoſa enim hæc planta alibi quàm in Judæa naſci faſtidiebat, teſte *Plinio* lib. 16. cap. 32. ſed nec Judæam Balſamum occupavit præter Callirrhoën Hieroſolymis proximam. *In hac terra*, inquit *Solinus* Polyh. cap. 35. *balſamum naſcitur, quæ ſylva intra terminos viginti jugerum uſque ad*

*victo-*

*victoriam noſtram fuit.* Meliùs in rem noſtram alii *Codices* legebant: *In hac terra tantùm balſamum naſcitur.* Et quanquam idem affirmet balſami lucos inde adeò propagatos quum Judæa potiti eſſent, ut ejus ævo latiſſimi colles balſama ſudarint; hodie tamen vix exiles ramos fert Arabia: unde *Tacito* lib. 5. Hiſtor. in Ægypto modica arbor Balſamum, & *Strabo* in παραλίαις tantùm naſci prodidit, non naturæ forſan culpâ, ſed excolentium, ut rarior apud nos ejus uſus ſit fueritque, & ſucci balſamici in uſu medentium per fiſſuram exſtillantis inopia, per naturam verò exſudantis tantus defectus, ut in Theriacæ mixtione pro Opobalſamo vero nucis muſcatæ ſuccum ſubſtituant ſeplaſiarii, quanquam ex Ægypto per mercatores ſuperioribus annis Venetias & Romam Opobalſami juſta ejus copia delata, quam legitimam, inciſione que elicitam agnoverunt controverſiæ inter plurimos de ea exortæ arbitri *Baldus*, *Caſtellus*, *Veſlingius*, *Perla*, *Donzellus*,

*zelius*, *Campii*, aliique quorum nucleum *Io. Georgius Volcamerus* Floræ genius edidit. Alia in dictorum teſtimonium addere ſuperſedebo, quum Naturæ ſæpiùs exceſſum, ſæpiùs quoque defectum in animalium numero & plantarum quivis animadvertat, ut parciorem eſſe in Monocerotum genere citra magnum ſit miraculum. Imò adeò in terris inſolens deſcribunt *Hebræorum Magiſtri*, ut quum Monocerotis pelle tegendum eſſet Tabernaculum à Deo adductum ſit animal ad Moſen, nec ab eo ampliùs in deſerto comparuiſſe. Per animal enim Unicornu explicant *Talmudici* 2. *Aphor. de Sabad* illud תש Taſſo, quod *Exod.* 25, 3. 26, 14. arieti junctum per Janthinas reddidit *B. Hieronymus*: de quo dubitant an domeſticum fuerit, an peregrinum: mundum tamen credunt ex ſacro uſu. De Cophthis jam ante monui evidens defumi Monocerotis documentum, ut labori huic ſuperſedere poſſim.

Ex.

Experientiam excipiant varia veterum monumenta in Monocerotis ſidem erecta. Inter quæ primum locum teneat gentilitium tribûs Joſephi apud Hebræos ſignum, quod in Labari una parte Unicornu, adverſa Bovem monſtraſſe conſentiunt Rabbini in *Medras Raba*, ſequutuſque eſt in Dipluranologiæ titulo *Emmanuel Portus* in Joſuæ ſcuto, quem ex tribu Joſephi fuiſſe conſtat. Origo Emblematis poſtremo *Iacobi* voto debetur, quo filio natu ferè minimo ſed fortunis maximo & pulchritudinem & potentiam augurabatur *Geneſ.* 49. *verſ.* 22. 24. Unicornu autem pro fortitudine & ſingulari robore in Scripturis aliàs frequenter adhibitum, pulchritudinemque & gratiam alio denotavit oraculo *Pſal.* 28. Forſan & Joſephi altiores fortunas eminenteſque dignitates Monocerotis ſigno ad poſterorum memoriam tranſmiſerunt auctores fratribus ad exemplum oppoſituri Quod per Labarum firmarunt *Rabbini*, *Alexander* Macedo, num-

nummo ſæculo illi & ſequentibus familiari, adumbravit, quem devicta in Indiis Niza Unicornis effigie uno latere ſignavit, caput inclinantis & cornu in cantharum Bacchi poſito quieſcentis, adverſæ parti Inſcriptione additâ ex urbe capta, ΝΥΣΑΕΩΝ. Quippe Libero Patri ſacrata fertur Niſa apud *Plinium* lib. 5. cap. 18. Et lib. 6. c. 21. Nummum iſtum Alexandri nondum videre licuit, ut dubius ſim an ſculptum fuerit potius ΝΙΚΑΙΕΩΝ, in memoriam Niceæ urbis Bithyniæ ab Alexandro eodem conditæ, atteſtante *Iuſtino* lib. 12. *Duas urbes condidit, unam Nicæam, alteram ex nomine Equi Bucephalam.* Cujus populi eâdem Inſcriptione exſtat numiſma apud *Sebaſtianum Erizzum* L. Commodi Cæſaris honori conſecratum. Quid verò ad pateram Unicornu? Nempe hoc Emblemate ſingularem erga Niceos amorem ſignavit Alexander, qui Unicornis ob animi fortitudinem, hic tamen placidâ populi ſui dulcedine frui velut victus deſide-

ſiderat. Alii Æthiopum per columnas Monocerotum & nomen & figuram conſervarunt, opere, ut credo, magnifico & pro gentis conditione ſuperbo. Cujus columnæ obſervo veſtigium apud *Geographum Chriſtianum MS.* Bibliothecæ Mediceæ de Animalibus Indicis, quod operæ precium erit hic à ſitu vindicare; ΜΟΝΟΚΕΡΩΣ. Τοῦτο τὸ ζῶον καλεῖται μονόκερως. Οὐκ ἐθεασάμην δὲ αὐτό. στήλας δὲ αὐτοῦ χαλκὰς ἀνατιθεμένας ἐν τῇ Αἰθιοπίᾳ ἐν οἴκῳ τετραπύργῳ βασιλικῷ τέσσαρας ἑώρακα, διὸ καὶ οὕτως κατέγραψα. Φασὶ δὲ περὶ αὐτοῦ ὅτι φοβερόν ἐστι καὶ ἀκαταμάχητον, ἐν τῷ κέρατι ἔχον τὴν ὅλην ἰσχὺν καὶ ἡνίκα δόξῃ παρὰ πολλῶν διώκεσθαι, καὶ καταληφθῇ, εἰς κρημνὸν ἐφάλλεται, καὶ ῥύηται ἑαυτὸν ἐκ τοῦ ὕψους, καὶ κατερχόμενον ἀντιστρέφεται, καὶ τὸ κέρας δέχεται τὴν ὅλην ὁρμὴν, καὶ ἀβλαβὲς διαμένει. Quæ verſa ita ſonant: *Hoc animal Unicornu vocatur. Non quidem illud vidi, ſed ejus columnas æreas quatuor, in Æthiopia poſitas in domo Regia quatuor turribus ſuperbâ obſervavi,*

*unde*

*unde & ita delineavi. Ferunt verò de illo quòd terribile ſit & inſuperabile, in cornu ipſo omne robur habens: & quia ſe à multis perſequutum novit viribuſq́ue deficere, in ſcopulum præruptum ſaltans ſeipſum præcipitem ex alto dat, & inſequenti in faciem vertitur, cornuq́ue totum impetum excipit, illæſum tamen permanens.* Columnarum frequentem apud antiquos uſum ne ultimis quidem temporibus defeciſſe conſtat, quoties memoriâ dignæ res ad æternitatem conſecrabantur. Notæ Herculis virtuti dedicatæ columnæ vario metallorum genere. Tyri ex auro & ſmaragdo binæ erectæ, quas vidit *Herodotus* & deſcripſit lib. 2. *Templum Herculis, quod vidi opulentè exornatum, cum aliis multis donariis; tum verò duobus Cippis, altero ex auro cocto, altero ex lapide ſmaragdo, majorem in modum ſplendente per noctem.* In Gadibus columnas, laborum terminos, poſuiſſe fertur Hercules in duraturam poſterorum memoriam, quas decantat *Pindarus* Olymp. Od. 3. Epod. θ.

Νῦν γε πρὸς ἐσχατιὰν Θή-
ρων ἀρεταῖσιν ἱκάνων, ἅπτεται
οἴκοθεν Ἡρακλέος σταλᾶν.

Eas per Idolum explicat *Averroës* ſtatuamque quam adorandam gentiles poſuerunt. Cujus effati pœnas à *Paganino Gaudentio* Polyhiſtore luit cap. 121. lib. de Orig. Phil. Rom. quia non ab hominibus, ſed ipſo Hercule memoriæ cauſâ erectæ fuerint columnæ. Hercules tamen ut Alexander divinos honores etiam ſuperſtes non aſpernatus, quia ab indigenis columnas ſumpſiſſe dicitur apud *Suidam* in Voce Γάδειρα: *Hactenus progreſſus Hercules, cum ob ſonitum, & tenebras ulteriùs tendere non poſſet; columnas ab indigenis ſumptas erexit, quibus ſignificaret eò-uſque perviam eſſe terram & mare.* Tempore ſuo adhuc ſuperfuiſſe in Coſmographia aſſerit *Æthicus*, qui judice *Ioſia Simlero* Conſtantini ævo floruit. Corruptas verò in prælio, quod crevit inter Barbaros & homines illius Inſulæ Anno I ɔ xxx. à Muhametis ortu, refert *Averroës* in Com. 2. de Cœlo,

qui

qui ſe elevatum Idolum affirmat vidiſſe. Vixit autem milleſimo centeſimo Anno à Nato Chriſto. Hinc adeò eſt, quod earum aliter non meminit *Ioan. Baptiſta Suarez* in Antiquitatibus Inſulæ & Civitatis Gaditanæ Hiſpanico idiomate editis, niſi quòd olim fuerint. Id quia ad noſtrum inſtitutum ſpectat, conſiderationem meretur, quòd columnis varia inſculpſerint quæ poſteritatis ſcire interfuit. *Strabo* enim lib. 3. Geogr. templi ſumptus inſcriptos narrat, dubio procul quòd modum vulgarium ſuperaſſent: *At quidam alii columnas dici illas ajunt, quæ intra* Herculis *ædem Gadibus exſtant. Sunt autem ex ære cubitorum octo, in quibus conſtruendi templi ſumptus inſcriptus eſt.* Aliæ Herculis labores præferebant, auctore *Philoſtrato*: *Hydriæ inſuper, & Diomedis equi, & duodecim Herculis labores in lapidem inciſa conſpiciuntur.* Eodem arbitror inſtituto Æthiopum gentem columnas æreas erexiſſe Monoceroti ibi locorum aliquando viſo, ut & de animalis veritate

& pa-

& patriæ ſuæ excellentia publico ſigno teſtarentur: unde ejus quoque corporis formam exactam expreſſerunt ab *Auctore Geographiæ* incerto annotatam. Quod memoriæ frequens apud Romanos genus ex ſtupendis illis Trajani & Antonini columnis in Urbe viſitur, & reliquis minoris operæ ex navali ære ſurgentibus, quas roſtratas vocant in Capitolio inſertas ob devictos navali prælio Latinos priſcos, Carthaginenſes, Pœnoſque, teſtibus *Plinio* lib. 34. c. 5. *Quintiliano* lib. 1. cap. 7. *Servio* ad *Virgilium* 3. Georg. quibus columnis intercedendum putarunt gloriæ & famæ invictorum pectorum, additis tam Inſcriptionibus quàm Hieroglyphicis à *Petro Ciacconio* Hiſpanorum doctiſſimo diligentius explicatis. Et, quod ad rem erit, roſtra navium triremeſque devictas in opere ipſo expreſſerunt adhuc Romæ ſuperſtite, cujus Inſcriptionem poſt *Ciacconium Petrus Servius* Romanorum Med. literatiſſimus cap. 4. Miſcell. & figuras exſculptas *Gauges de Gozze* dili-

diligenter & ad unguem explicarunt. Non aliter Æthiopum Reges cornu animalis cum ipſo Monocerote in columnis vivâ imagine effinxerunt. Monuit me tamen ingenuè *Lucas Holſtenius* literaturæ Græcæ & Veteris Philoſophiæ facilè princeps, στήλην hic alibique non pro columnis, ſed ſtatuis accipiendam ad Unicornis figuram expreſſis; cui eò faciliùs aſſentior, partim quòd frequentiorem ſtatuarum memoriam omni ævo reperiamus & veſtigia adhuc clariora, partim quòd majus ad Unicornis rationem pondus afferat. Quod de impetuoſo Monocerotis ſaltu refert Geographus noſter, in alio parùm diſſimili, ſi non eodem, in Oriente ſibi obſervatum mihi expoſuit *Abrahamus Ecchellenſis* de Monte Libano, Maronita, Arabicæ linguæ in Gymnaſio Romano Interpres meritiſſimus. Monocerotis autem ex ſtatuis ſive columnis Æthiopicis expreſſa imago juſtâ diligentiâ à me in Medicæa Bibliotheca fuit conſiderata. Toto corpore

pore Cervum refert ſive magnitudinem ſpectes, ſive membrorum conformationem. In ſolo capite aliquo diſcrimine ſeparatur. Cornu enim in fronte recto ductu protenditur ſtriatum, curtæ aures, barba hircina ſub mento & vellus anteriori facie inter frontem cornutam & naſum. Frons tuberoſa, cui ſolum cornu infixum viſitur.

De Monocerote, animali terreſtri, novum non ita pridem argumentum ſuppeditavit Hafniæ Afri cujuſdam Reguli Nepos, cujus de eo relationem juſſu Regis mei clementiſſimi à me exceptam in Hiſtoriis Rarioribus conſignavi, ex quibus *Deuſingius* in ſuum de Monocerote tractatum tranſtulit, & hic relegi eadem Hiſtoria meretur iiſdem verbis quibus ipſe conceperam: *Franciſcus* Marchio de Magellanes, Africanus, nomine Regis ſui Guinenſis ad Curlandiæ Ducem Legatus, Hafniæ 1652. menſe Octobri ſubſtitit, viſiſque rarioribus in Technicotheca Regia inprimis Unicornu, Boreali

nuper ex Groenlandia advecto, undecim ſpithamas longo, mirabatur cornu hujus longitudinem, monuitque diverſum in patria ſua Unicornu reperiri, ex genere quadrupedum, ſæpe à ſe viſum, nec de eo in Africa dubitari. Quia verbis pondus ineſſe videbatur hominis non Barbari ſed Chriſtiani, generi Regis ut ferebat & Nepotis, de animali iſto, ejuſque cornu diligentiùs inquiſivi, Sereniſſimo Rege meo clementer jubente, hæcque ex ejus relatione comperi:

Unicornu quadrupes Africanis illis *Tirè bina* vocatur, hoc eſt, cornutum animal. Velociſſimum animal & ferum in deſerto magno *Canò* Africæ oberrat, unde vivum capi facilè nequit, ſed ſagittis figitur. Cadaver tamen in deſerto reperitur, & in uſum venit incolis, quod cum Veterum Monocerote non multùm abludit. Ipſe Magellanicus vivum viderat nunquam. Rogavi tamen ut Regis ſui opera ſagittarii conferto agmine emitterentur, quò

vel

vel vivum capiatur, vel oſſa, pellis, cranium & cornu ipſum nobis tranſmittantur.

Magnitudine & formâ equum mediocrem exprimit, capite, cruribus & pedibus piloſis, jubâ brevi vixque ſpithamam prolixâ, caudâ equinâ, ſed non valdè piloſâ. Cutis univerſa glabra, pilis breviſſimis.

Color in dorſo cinereus, lineâ nigrâ per medium dorſi excurrente, à maxillâ verò inferiori ad abdomen candidiſſimus.

In fronte crinium faſciculus viſitur, ex cujus medio excreſcit cornu unicum, cui faſciculus ille pilorum ſemper adhæret, quanquam cornu à fronte animalis ſit ſeparatum.

Cornu ipſum vix tres ſpithamas ſuperat, octo vel novem circiter pollices craſſum in baſi. In apice hujus cornu faſciculus pilorum rubrorum eſt appenſus, pugni amplitudine, quod hactenus nulli Unicornuum ſpeciei proprium audivi vel legi.

Cornu neque in gyros contortum inſtar Unicornu borealis, ſed exiguas eminentias habet & inciſuras, quæ à fronte ad apicem rectâ lineâ producuntur. Color flaveſcens. Cavum circa radicem. Mas ſolus cornu iſto ſolo viſitur, fœmina in reliquis mari ſimillima ſine cornu.

Africani magnum huic cornu ſtatuunt pretium ob virtutes decantatas. Contra venena omnia illud exhibent, tam intùs ſumptum quàm extrà. Fera antequam bibat, ſemper cornu aquis mergit, quæ exinde planè turbantur; unde incolæ cornu adhibituri, apicem cum faſciculo pilorum aquis mergunt, ex quo deinde aquam ſalutis gratiâ exſugunt. Aqua faſciculo immerſo ebullit, ſicut id omnibus ſiccis uſu venit, unicornu foſſili, calcinatis cornibus, & de Veterum Monocerote fama fert.

Caro Monocerotis Africani non ingrati ſaporis; recenter cocta & comeſta lepram curat. Pili caudæ in pul-

verem

verem cremati, & in vino Hiſpanico aſſumpti, dyſentericis prodeſt.

Monocerotis hoc genus nunquam deſcriptum aut depictum fuit. Veterum Monoceros cum Leone & equo communia habebat multa, nigro cornu; Africanum equo vix diſſimile. Nec Aſinus Monoceros eſt, quem in Africa reperiri *Herodotus* & *Solinus* ſcribunt. Quanquam enim & ibi inveniri Aſinos ſylveſtres & domeſticos bicornes conſentiat Magellanicus noſter, diſparem tamen ab hoc Unicornu faciem demonſtrat. Nec Amphibion eſt Africanum deſcriptum *Garciæ ab Orto* lib. 1. Hiſt. Arom. cap. 14. quia pedes poſteriores ſimiles ſunt anterioribus, nec cornu illi eſt mobile. Monſtravi Magellanico ſingulas Unicornuum ex *Aldrovando* & *Jonſtono* figuras, ſed nullam propiùs accedere affirmavit, quàm equum Monocerotem tab. 10. *Ionſtoni* depictum, niſi quòd ungulis ſit ſolidis ſolidipes.

Monſtrum credidi, ſed fidem fecit Afer,

Afer, omnia unicornua hac facie comparere, ſibi ſimillima. Navis præfectus *Petrus Schultzius* noſtras confirmavit, in Africa idem ſibi narratum ſæpiùs ab incolis. Ita Africa ſemper aliquid novi. Relationi novæ fidem plenam ſpondemus, quando ex condicto Unicornu ipſum ad Sereniſſimum Regem noſtrum Marchio Magellanicus transmiſerit.

## CAP. XX.

*Monoceros à fabulis vindicatur. Cteſiæ defenſio. Laus Famæ. Contradictiones de Unicornu tolluntur. An in ſpectaculis productum, ex Nummis dijudicatur.*

IPſam invictam rei fidem exauget firma Ratio, quæ Monoceroten neceſſariò invehit, ad univerſi complementum & gratam viventium varietatem, de qua plura non eſſent addenda, ne experientiæ tantum decedat, quantum hæc augmenti cepit, præſertim quum apud bonos judices ſatis ha-

habeant firmitatis vel teſtimonia ſine argumentis, vel argumenta ſine teſtimoniis, ut lacteum illud *Lactantii* os lib. 4. de vera Sap. cap. 22. loqui amat. Prodeat tamen, ut utrique ſuus ſit locus; cui diverſa ſententium argumenta tanquam ex facili cedent, ſi eam, ex eâ parte quâ homo ſum, in medium oppoſuero. Quis enim vel mica rationis inſtructus non viderit falſos eos qui Monoceroten eodem habuerunt loco quo Aſinum Aureum *Apuleji*, Sirenes *Homeri*, *Virgilii* Harpyias, Chimæram, Minotaurum vel denique Hippogryphum. Ingeniorum enim hæc ſunt luſus vel ad informandos hominum mores vel corrigendos ficti veteribus ſapientibus familiares, qui per fabulas fictaſque hiſtorias occulta inſinuarunt, non Æſopi ſolùm ævo, ſed & *Pythagoræ Platoniſque* quos primam puerorum inſtitutionem à fabulis incepiſſe ex lib. 1. de Legibus habemus. Romæ quoque uſitatum doctrinæ genus innuit *Quintilianus* Dialect. de Oratorib.

M. Apri & Julii Secundi etiam fabulas & diſputationes, & arcana ſemotæ dictionis penitus in juventute excepiſſe fatetur. Quò ſpectant quidquid de Diis finxit vetuſtas Aſino Aureo ſimilibus, quos tamen ad Moralem ſcientiam perduxerunt poſteri, & eam quæ ad Naturam refertur, de quibus pleni ſunt paſſim Libri, *Natalis Comitis* Mythologici, *Franciſci Baconis de Verulamio* novo de Sapientia veterum Tractatu; quanquam parvam illam fabularum utilitatem credat *Euſebius* lib. 2. præp. Evang. cap. ult. nec multis utilem, niſi qui cauſas rerum curioſiùs inveſtigarunt; nihil tamen animos magis moviſſe & in rectum flexiſſe omnium ſæculorum gentiumque teſtantur annales. His in Unicornu fingendo excidiſſent fabulæ Auctores, quia neque ad mores hominum neque naturæ ſecreta ficto vultu conformetur, niſi quemadmodum alii omnia, ſpontè ejus naturâ monſtrante viam aliò trahatur animal, ſicut ad deſignandam pru-

prudentiam ſerpentes, ad ſimplicita-
tem columbæ, ad aſtutiam vulpes, &
ad ſagacitatem Rhinoceros, ita ad for-
titudinem ferociamque aptentur Mo-
nocerotes. Sed enim fictam Monoce-
rotis hiſtoriam ab Auctorum genio
concludunt, & ſolemni more fingen-
di ea quæ alibi nec ſcripta nec picta ex-
ſtant. Primum enim animalis aucto-
rem *Cteſiam* dici *Plinio* lib. 8. cap. 55.
quem fide dignum negarat *Ariſtoteles*
lib. 8. cap. 28. Hunc ſequutum *Pli-
nium* in pari errore hæſiſſe: *Philoſtratum*
verò novis & miraculoſis delectari po-
tiùs quàm veris, & *Ælianum* alienâ voce
contentum ſcripſiſſe quæ incertâ acce-
perat famâ. Verùm fruſtra bono *Cteſiæ*
occentant, quem, ut videtur, ex otio-
ſorum ingenio æſtimant. Equidem
omninò exiſtimo, ſi de Monocerote
ignoto illis ſæculis animali præter ve-
ritatem quidquam chartis conſignaſſet,
ab *Herodoto* ejus æquali vapulaſſe & falſi
dicam retuliſſe, *Ariſtotelem* verò vice-
nis minimùm Olympiadibus *Cteſia He-
rodo-*

*rodotoque* poſteriorem quis credat ſincerius de præterito tempore judicare potuiſſe, quàm de præſenti *Herodotum*? Neque eò perveniſſe ſcio audaciæ *Ariſtotelem*, ut ex levicula culpa circa ſuem, quem nec ferum nec manſuetum in India haberi negarat, omnia *Cteſiæ* damnaret quæcunque ſeu de Monocerote ſeu aliis in India obſervarat, quamvis ſine teſte eo nomine ſolo fidem *Cteſiæ* derogaverit. Quid enim abſurdi, niſi alia afferret, ex India ſuillum genus eliminare, quod neque in Arabia agnoſcit *Plinius* lib. 8. cap. 51. Sed argumenti pondus elevat, quiſquis in veterum ſcriptis verſatus, malè ex unico errore totius operis auctoriſq́ue dignitatem fidemq́ue penſari novit. Jam certè de utroque foret conclamatum, maléque audirent *Ariſtotelis* omnia, quòd hic loci in Gallia Aſinos falſò neget. Actum etiam eâdem ſententiâ de *Homero* antiquiſſimo Polyhiſtore eſſet, ſi quæ de obſidione expugnationeq́ue Trojana finxerat, reliquis verè dictis falſi

falſi maculam communicarent. Fictum autem eſſe Trojanum excidium ex ſignatis plurimorum *Auctorum* verbis liquet, quæ qui velit, adeat *Ioh. Chryſoſtomi* Orationem, *Ciceronem* lib. 2. de Divin. *Lucanum* lib. 2. Pharſ. *Iuvenal.* Satyr. 10. *Trebel. Pollionem* in D. Claud. *Tacitum* lib. 12. Annal. B. *Auguſtinum* lib. 1. de Civit. Dei, cap. 4. *Lucianum* Philopſeud. & *Quintilianum* de Oratoribus. Ipſamque aurei velleris hiſtoriam non procul fabulis aliorſum traxerunt *Majerus* Ænig. 223. *Sennertus* de Conſenſu, *Hier. Hœlzlin* Prol. ad Apollonium, aliique numero non pauci.

Ut hinc nec Ulyſſem crederemus, quòd longo illo & fabuloſo errore, ut iter vocat *Tacitus* de Moribus German. hiſtoriam ejus in majus auxerit *Homerus*. *Cteſiam* tamen apud *Lucianum* quoque ſuſpectum in Philopſeudolo p. m. 463. adverti, in quo Homeri fabuloſo Catalogo accenſetur: Veteres illi, *Herodotus*, *Cteſiaſque* Cnidius, & ante hos Poëtæ, & ipſe *Homerus* Viri celebres,

mendaciis ſcriptis uſi ſunt. Quod Satyrico condonandum ſtylo, quo omnes, ne Chriſto excepto, pari inſolentia perfodit. Rectè pro Cteſia pugnat *H. Stephanus* in Diſquiſitione operi præfixa: Si mentiri voluit Cteſias aſſentationis ſtudio, & ſpe lucri id factum, at neque Artaxerxi neque matri Paryſatidi ſupplantavit vera laudis, ſed potius detractum ivit. Cæterùm gratis Monocerotum mentionem primam ad *Cteſiam* referunt, qui conſerto pede nobiſcum pugnant, quum de Unicornu multis anteactis ætatibus ad ravim uſque clament *Divinæ* paginæ. *Andreas Baccius* libro de Unicornu vim oppoſitæ auctoritatis *Cteſiæ* aliorumque effugere aliâ viâ tentans concedit exactam Monocerotis notitiam veteribus *Cteſiæ, Plinio, Ælianoque* latuiſſe ſolenni rerum obſcuritate, quæ donec invaleſcant prima exordia & notitiæ incunabula facilè confundunt. Quò confugere ſine neceſſitate coactus eſt, partim quia nullo non tempore Monocerotis

rotis

rotis animal infrequens neceſſariò confuſam omnibus ſcientiam gignit, nobis pariter & antiquis; partim quòd accuratam Unicornis deſcriptionem ſequenti ætate conſonam aſſequuti ſint *Cteſias* & *Plinius*. Nec vitio *Philoſtrato* verti debet novarum rerum ſtudium, quo ſeriem Illuſtrium hiſtoriarum velut gemmis per intervalla diſtinxit, ut torpentem forſan lectorem excitaret. Hominum quippe ingenia novitatis ac peregrinationis avida, externa quæcunque quæ à patriis finibus Natura removit, amplectitur ut nummos novos pueri, non quòd vel nummi novi falſi ſint, aut externa nihili, ſed quia præter vulgarem ſortem novâ ſpecie adornantur. *Æliano* id debet poſteritas quòd ab aliis de Unicornu relata fideliter annotaverit, quum nec ipſi nec aliis forſan præſentibus intueri locorum diſtantia conceſſerit & feræ agilitas. Veritatem rerum fama ſequitur, ut umbra, quæ, ut magnus *Tacitus* loquitur, non ſemper errat, in-

terdum & ſeligit. Famam illam de Unicornu ſparſam à Barbaris Indis, qui aliud præter nomen neſciverunt, *Æliani*, reliquorumque ævo introductam aliqui dum urgent, adeóque infra fidem eſſe & veritatem, multarum rerum notitiam nobis adimunt in quibus, utpote exoticis, barbarorum ſtamus relatione, meliorum patriæ ſuæ interpretum. *Mercurialis* Tom. 2. Conſult. 63. eo nomine Monocerotis hiſtoriam ſuſpectam reddit, quia ab *Ariſtotele* neglecta. Cui reſponſum velim, *Ariſtotelem* de vermiculis apibuſque ſcripſiſſe fuſiùs quàm de Deo, quod olim ipſi objectum fuit, ut taceam multa ab eo de Animalibus notata, quæ nec vidit ipſe, nec ſatis perpendit, adeò de ignotis ſilentio ſe magis excuſavit quàm dubia relatione. Addo Monocerotum multitudine deceptum ſingulorum involviſſe tractationem.

Fortiùs ex Auctorum inter ſe diſſidio in nos jaculantur. Illos nempe tam de fera, quàm feræ Cornu diverſas con-

tra-

trariaſque alere ſententias. Sed ea ſcriptorum diſſenſio ſine veritatis ſit diſcrimine. De animali modò conſtet, in conditionibus liberè diſſentiant, quæ narrantium multitudine & feræ ipſius ſecundùm ætatem, pabula & regiones varietate, diverſæ ſæpiùs ſunt & variæ. Ætatis quippe ambitu adeò ſubinde mutantur viventia, ut ſi Herculem olim in cunis, videas deinde in Augiæ ſtabulo, eundem eſſe ſanctè neges, & in cervorum genere ſi anniculos ſubulones, hinnuleos, dicrotoſque inter ſe conferas, profectò diverſa eſſe Jovem lapidem jurabis: unde in illam Doctorum quidam devenerunt opinionem, eundem non eſſe Socratem v. g. ſenem, qui juvenis fuerat. Dependere hæc à ciborum regioniſque mutatione docet *Ariſtoteles* lib. 8. Hiſt. cap. 28. ubi per plurima animalium ſecundùm loca diverſorum genera decurrens exemplis inducit aliqua à cibo vel largiori vel parciori, alia à locis, cœli ſituſque conditione majora gigni

vel

vel minora, caudam nullam vel largiorem ferre, cornibus excedere vel planè carere. Hinc ſanè mirum non eſt diverſam deſcriptionem Monoceroti accommodaſſe Auctores juveni quàm provectiori ætate, Indico quàm Æthiopico, quamvis ſi ex æquo rem æſtimemus, minus ſit in auctoribus contrarietatis quà vulgo jactatur, ut brevi manifeſtiùs fiet. Cornua Monocerotis in theſauris Principum ſparſim aſſervata quamvis variam faciem oſtentent, veris tamen nihil detrahunt, quæ dari poſſunt. Varia illa ſunt vel ab arte artificum & ingenio, vel temporum injuria, vel quòd alteriùs Monocerotis ſint pro vero Unicornu ſuppoſita, quo numero pleraque quibus nomen apud magnates precium hactenus dedit, recenſeo. Obvertent præterea nobis miracula quæ dubiâ nec æſtimandâ fide à Cornu vero promittuntur ab antiquis, ut eadem ſit animalis quæ miraculorum ſuſpecta veritas. Equidem miraculorum pondus non excipiam,

quod

quod minus huic ineſſe cum *Patre* cap. 6. conceſſerim, ſolam argumentationis debilitatem oſtendam ex mala diverſorum miſcella. Nam accidentibus, ut bonâ Criticorum veniâ à Philoſophis verba mutuer, ſubſtantiam miſcet, & ex illorum conditione hanc metitur, cui inhærent nullâ proprietatum neceſſitate. Illa ſine hac abeſſe poſſunt & pro falſis traduci ſuperſtite ſubſtantiæ dignitate, quam neceſſariò non ſequuntur: unde & in majus fallacis famæ curſu augeri poſſunt rerum virtutes, hominum geſta, animantium effectus, quanquam & hoc & illi & iſtæ reapſe exiſtant. Tandem qui contradicendi partes ſuſceperunt, ad Romanorum ſpectacula provocant & ſæculares ludos, in quos ex univerſo orbe perdomito rariora inducta animalia, Monocerotes omnium ore eo ævo celebratos, nunquam Annales atteſtantur. Quibus *Andreas Baccius* defendendi Monocerotis patrocinium felici conatu exercens, facili ex natura feræ reſpon-

ſponſione occurrit. Nam raram beſtiam, & feram, nec domari poſſe nec vivam capi prodiderunt *Philes*, *Ælianus*, & *Plinius*. Longiori quoque itineri Romam perducenda ſuccubuiſſent ob cœli pabuliq́ue diverſitatem, quod uſu veniſſe Elephantis ex *Æliano* lib. 10. cap. 18. & *Petro Gyllio* credimus. Ut taceam ſuo judicio quaſi ſorices perire Antagoniſtas. Romani enim ad Indiæ penetralia pervenerunt nunquam, ne Parthis quidem niſi à limine ſalutatis, nec ad Gangem infeſtas Aquilas circumtulerunt. Alexander autem præſente ubique fortuna qui Nyzam Indiæ ſuo imperio addixit, æterno nummorum monumento, Unicornu, victoriæ teſtem, impreſſit. Unde quid ad Romanorum ſpectacula Monoceros nec ſatis ipſi ſciunt nec explicant ſatis. *Senex* quidam *Antiquarius* mihi Neapoli perſuadere auſus eſt, vidiſſe ſe in numiſmate Marci Aurelii Imperatoris Unicornu impreſſum, ſed pro Unicor-

cornu vero Rhinocerotem accepit ſili-
cernium, qui in Domitiano nummo
exhibitus eſt ab antiquariis, unico cor-
nu depictus quidem, ſed apud *D. Ioan-
nem de Lazara* Equitem, Nobilitatis
Patavinæ florem, & paternæ virtutis
æmulum, duobus cornibus apertius
conſpicitur. Cæterùm quum ſpecta-
cula fervidè adeò urgeant adverſarii,
mirari ſubit non vidiſſe *Philippi* Junio-
ris ſæculares ludos rariori animalis Per-
ſici ſpecie nobilitatos, in quibus inter
alia cœlo Romano inviſa, & fera pro-
ducebatur cornuta, equo cætero cor-
pore ſimilis, ſed barbâ prominente,
eum ferè in morem quo Monoceros in
Geographo Medicæo depingitur, niſi
quòd ſculptorum licentiâ caudam juſto
longiùs produxerit. Numiſma hujus
Philippi exprimit *Seb. Ericius* pag. 542.
quod & nos hîc Lectorum oculis ſub-
jicere commodum duximus; ſed hirco
ſimilem malè judicat, cui nec cauda
protenditur, nec ungulæ ſolidæ, nec
denique caput equino proprium exſur-
git:


IMP·M·IVL·PHILIPPVS·AVG.


SAECVLARES·AVGG.
S·C·

git: fruſtraque ex Perſia vulgatum animal theatro Romano exhibuiſſet Imperator. Monocerotem equum veriùs diceres ſi diſſentire velles. Hinc Regem Praſi ſolitum ad publica ſpectacula in roboris ſui documentum Unicornis filiolos inſtruere fama tulit apud *Ælianum*, certa forſan, nec exemplo carens. Si vera Doctorum quorundam Monocerotis deſcriptio, capite leonem, corpore equum, & pedibus, cervum referre, videtur is ſanè in nummo æreo ſignatus quem mihi cum aliis in Sicilia *Petrus Carrera* Patriæ Antiquitatis fidus interpres donavit. Caput enim leoninum erecto poſteriora verſùs cornu, nodulis quibuſdam interſtincto aliquam Monocerotis umbram præ ſe fert. De quo certiora non addo, ſiquidem anceps ipſe doctiorum præſtolabor cenſuram.

## CAP. XXVI.

*Unicornis magnitudo. De ungulis Ariſtoteles excutitur. Cauda Monocerotis. Cornuum color & longitudo varia. Cubitorum menſura. In Cornu varietatis ratio.*

IN Monocerotis conformatione primas ſibi partes vindicat Cornu ipſum, quod & nomen animali dedit & precium, cujus ideò hæc erit pagina. Expendendæ tamen priùs contrariæ quædam in ſpeciem auctorum voces circa pedes Monocerotis, quibus non parùm dubiam reddere conati ſunt veterum hiſtoriam. De magnitudine, colore, forma levis diſſenſio, ab ætate, cœli ſtatu, regioniſque, & alimentorum natura, facilè expedienda. Magnitudinem quidem juſto majorem tam cornu quàm feræ commenti ſunt *Hebræorum Magiſtri* more ſuo vel fabulas vel ænigmata ſonantes. Ridiculum quippe eſt quod prodidit *R. Iuda* in libro

bro *Rabbà* tantæ fuiſſe molis conditos Monocerotes, ut arcæ ſuæ includere Noah non quiverit, indéque exiſtimaſſe alios doctos, ponè arcam alligatos in diluvio tanquam pediſſequas. Par huic obſervationi eſt *R. Iacobi* filii Idæ interpretatio *Pſal.* 22. *verſ.* 22. in Sanhedrin Hieroſolymitano conſignata, ubi narratur David paſcendo grege intentus fortè in Unicornem dormientem aſcendiſſe, quum corporis cornúque vaſtitate montis ſpecie deluſus eſſet. Interea dum excuſſo ſomno elevaretur Monoceros, territum Davidem feræ inſidentem, quem montem crediderat, votis ad Deum verſis templum ejus capacitatis longitudiniſque, quam cornu Monocerotis æquabat, centum videlicet cubitorum ſeriò voviſſe, ſi ex præſenti periculo eriperetur: quibus quum annuiſſet Dominus, in terrorem Monocerotis immiſſo Leone, auctum ex duplici monſtro Davidi metum tantum, ut novo voto duas preces incluſerit hoc ſuſpirio:

*Salva*

*Salva me Domine ex ore Leonis, & à cornibus Unicornium eripe me.* Quæ amœniorem lectorem tædio ſublevabunt gratâ varietate ſeriis immixta. Ad pedes Monocerotis majus dubium devolvitur, quos ungulis bifidis deſcripſerunt *Varthemanus*, *Cardanus*, *Albertus*, & *Munſterus*, ſolidos verò Elephantorum inſtar afferunt *Plinius*, *Solinus*, *Ælianus*. Sanè ſi arbitrium controverſiæ ad *Ariſtotelem* deferamus, Unicornis omnis ſolidipes erit & indiviſa ungula, quod tantum tutelæ per ungulas conceſſerit Natura, quantum cornibus dempſit. Hæc enim ejus ſententia lib. 3. de Part. cap. 2. diſertè expreſſa: *Solidipes potiùs quàm biſulcum eſſe Unicorne rectè videri poteſt. Ungula enim tam ſolida, quàm biſulca eandem naturam habet quam cornu, itaque eiſdem ſimul & ungulam ſindi, & cornu congruum eſt. Fiſſio etiam ungulæ, & cornu ex defectu* (ſcil. defenſionis) *naturæ evenit; itaque cùm exuperantiam ungulæ ſolidipedum natura dediſſet, rectè dempſit supernè, fecitque*

*Uni-*

*Unicorne*. Quam Præceptoris mentem clariùs in Scholio capitis ita proponit *Michaël Epheſius* ex verſione *Dominici Montheſauri* Veronenſis: *Sicuti ſolidipedi unitas atque Unicornæ, ita biſido dualitas & bicornæ congruit: inſuper quoniam fiſſio ex defectu materiæ convenit: quum enim natura haud materiâ abundans integrum veluti ſolidipedum agere non poſſet, bifidum ipſum fabrefecit.* Sed quid ad *Varthemani* experientiam dicemus? *Andreas Marinus* animalia Mechæ à *Varthemano* viſa in multis quidem *Plinianæ* delineationi convenire, ſed fiſſurâ pedum & cornuum longitudine planè diverſum animalis genus oſtendere, vel certè parùm ſibi conſtare auctores ſummo hiſtoriæ detrimento exiſtimat. Parùm ab hoc diverſus *I. C. Scaliger* dum *Varthemani* Monocerotem *Ariſtoteli* & *Plinio* incognitum fuiſſe, ſine dubio iis de cauſis, putat, eoſque tantùm de Aſino Indico loquutos. Ego horum accipio nihil, nec ullum in auctoribus contrarietatis ſenſum invenio. Veri

enim ſunt *Plinius*, & *Ælianus*, nec falſus fuit *Varthemanus*, quum utroque pede viſus ſit Monoceros, huic bifido, illis ſolido. Novum id uni huic non eſt pedum formam ad locorum diverſitatem variaſſe. De ſuibus, alioquin noſtro cœlo biſculis, notat *Plinius* lib. 11. cap. 46. in Illyrico quibuſdam locis ſolidas habere ungulas, quod excrementorum copiæ & naturæ neceſſitati adſcribendum. Monocerotes verò Mechenſes *Varthemani* ſolidis ungulis rectè privavit Natura, quia longiora cornua levem illum defectum compenſarunt, qui ex Auctore leviſſimus, parùm enim, *un poco*, anteriori facie pedes diviſos narrat. *Geographus* MS. Medicæus ungulas bifidas ex icone à ſe viſo depingit.

Cauda vel aprina fertur vel ſuilla nullo contrarietatis periculo, quum in feritate ſit diſcrimen utriuſque, cujus etiam gradus in Monocerote quò minùs ſtatuamus, obſtat nihil. In Excerptis tamen *Solini*, qui ſuillæ caudæ

auctor,

auctor, antiquis ſcriptum erat, *caudis villoſis*, pro *cauda ſuilla*. Quam lectionem auctor commentus eſt ex depravata exemplarium ſcriptura, *caudas villa*, quam, *caudis villoſis*, putavit corrigendum, ut monet ad Solinum Cl. *Salmaſius*. At *Solinus* more ſuo, Plinianas hiſtorias levi vel tranſpoſitione vel immutatione ſuas facturus, pro apro affinem ſuem, pro mugitu gravi, horridum, in contextum ſubrogavit. Medicæus autem *Geographi* codex caudam Monocerotis Cervo ſimilem cum reliquo corpore repræſentat.

Jam cornu ipſum adeo decantatum colorum externorum ſpecie variantes peperit opiniones. Plurimæ tamen in nigriore conveniunt temperato, apud *Ælianum*, *Plinium*, & *Amatum Luſitanum*, qui ſubnigrum ex Luſitanorum relatione confirmat. Solus hic in diverſum abit *Solinus* cap. 51. de India, mirificum ſplendorem cornu aſſignans: *Cornu è media fronte ejus protenditur, ſplendore mirifico.* Qui cum nigrore adverſa

mixtura pugnat. Splendida enim non obſcura ſunt, ſed ad candorem declinant vicinæ naturæ conditione. Ex quarum opinionum diſſidio *Andreas Marinus* occcaſionem captavit pro fabula Unicornu traducendi. Unde ſententiarum divortium aliâ copulâ junxit *Wolfgangus Franzius* cap. 11. hiſtor. animal. ſacræ, ſcilicet, foris nigrum, intus verò remoto cortice ſplendidum eniteſcere. Sed ſolius *Solini* auctoritate à majorum veſtigiis deflectere præter neceſſitatem arbitror; quum corrigendus ex melioribus ſit, ſi erravit, explicandus, ſi obſcuriori voce ſermonem involvit. Novitatis ſtudio à *Plinio* ſubinde diſceſſit vocum tantùm, non rerum diſparitate, ut Plinianam hiſtoriam proprio velo tegeret. Hinc ambigua ſubſtituit pro manifeſtis, pro veris incerta, & ut plurimum alia nomina iiſdem rebus indidit à *Plinio* differentia. Hoc artificio circa præſentem deſcriptionem cornu verſatus eſt, ut pro nigro ſplendidum ſignarit, non eo ſenſu

aut

aut notionis flexu, quo nigrori oppo-nitur aut tincturæ ſplendoris luminiſ-que expertæ, ſed ut rei excellentiam preſſiùs exprimeret. Splendida enim ad dignitatem adhibebantur, Deo pro-pria, & mortalibus communicata, qui ad majora nati generoſum pectus hu-mo erexere. Hinc tranſlatâ ad alia quoque vocabuli licentiâ ſplendere di-cebantur egregia quæque ſupra com-munem ſortem elata, ut probatum à nobis Cap. 1. & ſeq. *De Luce Animan-tium*. Quo dignitatis gradu Unicornu habitum vel lippis innotuit. Ex quibus conſtat dum ſplendidum Cornu appel-laret *Solinus* nigrum eſſe non negaſſe, quia & nigra ſplendere dicebantur; ſi-ve ratione excellentiæ, ſive particula-rum lucis. Ita nigerrimum bituminis genus, quod Aſphaltum Græci nun-cupabant, à *Dioſcoride* lib. 1. cap. 100. purpuræ in modum ſplendere pronun-ciatur, nec diſſimili ſignificatu atræ bili ſplendentem nigrorem contribuit *Galenus* in Comment. Aphoriſm. 23.

 ſe-

ſection. 4. Imò *Plinius* ipſe Latini ſermonis magnus conditor, ab ea libertate loquendi non abhorrens lib. 9. cap. 36. à vena purpuræ liquorem pretioſum nigrantis roſæ colore ſublucentem imbibi ſcripſit. Niſi ſimilitudine cornuum variorum deceptus ſit *Solinus*, viſoque fortè marino Unicornu, candidius ad eboris faciem fulgente, ſplendidum vocaverit, quod nigrum viderant antiqui, ob ætatem etiam albiſſimos dentes obfuſcantem.

Longitudo pro ætate Unicornuum modò protenditur, modò contrahitur. Quod viderat *Albertus Magnus*, craſſitie ſeſquidodrantis erat, longitudine decem pedum, *Plinii* cubitis duobus menſurabatur, *Varthemani* tribus, *Solini*, & *Iſidori* ad quatuor pedes exſtabat. Quæ ſanè exiguo inter ſe intervallo diſcreta ſi menſurarum rationem ineamus. Cubitus enim vel communis erat vel lapidibus ligniſque menſurandis propriùs. Ille longior ſex palmorum à *Vitruvio* lib. 3. cap. 1. fertur,

ſive

ſive duarum ſpithamarum, & omninò pedes duos æquat ſeu Dodrantem. Hic pede & ſemiſſe tantùm conſtabat proprio nomine λιθικοῦ & ξυλοπριστικοῦ ab *Herone* inſignitus: ad quem rariùs aliæ res menſurandæ Romanis præſertim, quibus ferè ignotus exigebantur. Pes duodecim uncias, quas pollices digitoſve vocabant, complebat, prout Romani pedis vera forma, quam ex baſi quadam in hortis Vaticanis exſtante delineavit *Petrus Ciacconius* in calce lib. de Nummis, *Io. Rhodii* planè conſonam, ad amuſſim oſtendit: quanquam majores pedes habuerint alii, qui tribus digitis quatuorve communem menſuram augebant, niſi eandem hanc menſuram arctioribus Unciis, in communi pede ſic ſatis largis, diſtinxerint. Hinc ſi longitudinem Cornu *Pliniani* & *Solini* ad hæc extenderimus, planè eandem comperiemus. *Plinius* enim cubitis duobus, communibus nempe, ſuum menſurabat, qui quatuor pedes, ſi duplicentur, efficiunt, ſecundùm verum

*Solini* computum, digitos verò quadraginta amplius octo. *Varthemannus* quem in menſurando applicaverit cubitum ſcire non poſſum niſi conjecturâ, quum & ipſi exacto eſſe non licuerit in iis quæ ex viſu deſcripſit. Fingamus ξυλοκεραπικοὺς cubitos elegiſſe, qui triplici menſurâ quatuor pedes cum ſemipede, digitos verò quatuor ſupra quinquageſimum, æquarent, à *Soliniano* Unicornu non niſi ſemipedis diſcrimine ſeparari advertemus. Alter equuleo anniculo ſimilis Monoceros, ut ætate, ita cornu magnitudine minor, quam palmorum quatuor obſervavit *Varthemannus* ſeu digitorum ſexdecim. Quod *Albertus* ſe vidiſſe perhibet magnitudine omnia excedens, ad animal pertinere quod magnæ molis navem adæquet, judicarunt *Andreas Baccius* lib. 2. cap. ult. & *Io. Ionſtonus* c. 43. de Quadrup. quale etiam fuiſſe autumant illud, ex quo poculum *Coſmo* Hetruriæ Duci donaverat *Alvarez Mendoza*, à Norſinga Rege in India acceptum, cujus diameter

meter eò extendebatur, ut vix utraque manu capi poſſet. Unde ex alio Indiæ animali fuiſſe putat *Aldrovandus*, *Baccius* verò ex eo quod *Marcus Paulus* in Baſma repertum deſcribit. Malè tamen ex cornuum diverſa magnitudine diſtinguunt cornigera, quæ varia longitudine ſæpiùs luxuriant in eodem animatorum genere, ut in ſtupendæ magnitudinis cornu Cervinis ramis diffuſo ad pedes undecim in Ambiani Templo quod Ligeris alluit, vidimus; ſi modò naturâ potiùs quam arte conditum perſuaſerit credulitas. Parvorum quoque ſubinde grandiora cornua prodeunt eo pondere, ut ferendo impares etiam caput ægrè tollant. De Apris Indicis auctor *Plinius* lib. 8. cap. 52. dentium geminos flexus cubitales ex roſtro, totidem à fronte ceu vituli cornua exire, ut etiam longitudinem cornuum juſtam menſuram excedentem ex regionum mutatione metiri debeamus, ex ætate gravi, & liberaliori paſtu. Paucis id indicavit *Ariſtoteles* lib. 8. Hiſt. cap. 28.

*In Ægypto aliqua majora, quàm in Græcia fiunt, ut boves, & oves. Cujus rei cauſam attribuunt cibo, qui aliis largè, aliis parcè ſit, &c.* Hincque adeò tanta Unicornuum noſtrorum, quæ ex vero Monocerote creduntur, in magnitudine varietas, ut à veterum alieniſſima diceres. Quod ut pateat apertiùs, per ſingula excurrentes ad examen vocabimus quæ in Magnatum Pinacothecis pro veris aſſervantur.

---

## CAP. XXVII.

*Unicornua S. Dionyſii Gallica examinantur. S. Marci Veneta. Hiſpanicum. Ultrajectenſe. Helvetorum. Danicum. Mercatorum Venetorum. Et Gedanenſis Empirici.*

OCcurrit fronte prima Gallicum Unicornu in templo S. Dionyſio ſacro prope Lutetias, quod inter prima notæ melioris reponit *Baccius* lib. 2. cap. ult. deſcriptionibus veterum *Æliani*, *Plinii*, & *Varthemani* proximum, quia

quia rudiori ſit forma, non politum, ad nigrorem vergens inſtar cervini, longum quinque vel ſex cubitos cum rectitudine revolutionibus ad extremum comitata. In eo ſanè veri Monocerotis longitudinem deſideramus, quæ apud antiquos tres cubitos vix exceſſit, & juſtum pondus. In aſſignanda tamen longitudine variant & hodierni ſcriptores, ut excuſandos putem antiquos inter ſe de exoticis diſcrepantes, quum quotidianis oculis viſa vix aſſequamur. *Ioannes Renodæus* lib. 3. de M. Med. cap. 21. longiſſimum eſſe & hominis proceritatem æquans tradit eâ fide quâ omnibus præſentibus patet: *Baccius* & *Marinus* ad ſex cubitos extendunt. *Abrahamus Golniz* in Itinere noviſſimo ad ſex & ſemis pedes metitur, *Bellonius* ſemiſſem complens ad ſeptimum auget. Varium quoque in eo pondus experti ſpectatores. *Cardano* viciniori contemplatori libras decem & ſeptem cum tertia parte, pendere viſum. *Golnizius* ad pondus viceſimum quintum aſcen-

aſcendit. *Bellonio* verò aliud viſu perſuaſum, aliud libratâ manu: quamvis enim decem duntaxat & tres libras cum unciis quatuor pendeat, ſi quis tamen ſublevet pluſquam decem & octo librarum exiſtimabit. Unde difficilem arbitror ſimilium rerum exactam menſuram aut libram æſtimare, quæ remotiora & ſenſum fallunt & intellectum. Reliquis conditionibus verum antiquorum Unicornu reddere exiſtimatur, quanquam ab arte quoque in faſcias quinque ordinatâ ſerie adornatum colligat *A. Marinus*, quia in vero Cornu ſimiles ejus elegantiæ ductus operari neſciat Natura, fieriq́ue poſſit ut ingenioſior artifex Cornu Monocerotis, cum lineis & tractu definito ab *Æliano* deſcriptum, artis mixturâ preſſiùs exprimere voluerit. Mihi ſanè aliis nominibus ſuſpectum eſt accuratiùs inſpicienti. Nam & color fuſco clarior, & inæqualis extremitas quâ capiti inhæſit aliquam cum Marino borealiq́ue dente affinitatem alit, quam arctior capacitas

auget

auget conficiendis poculis minus ido-
nea. Cavum tamen eſt cornuum in
morem, fateor. Sed quanquam indu-
ſtriâ artis id artificii, quicquid eſt,
poſſet efficere, tamen naturalis eſt ca-
vitas omnibus dentibus hujus generis,
ut in dente Elephanti, Apri, Roſma-
ri ſubinde videre eſt. Par de aliis judi-
cium titulo Unicornuum ſolo ætatis
raritatiſque teſtimonio gaudentibus,
quæ paſſim Romæ, Argentinæ, Me-
tis, Cracoviæ, Pragæ, & Dreſdæ
obvia.

In cenſu verorum numerantur bina
illa Veneta quæ ex theſauro D. Marci
ad altare ejuſdem ſolenni pompâ feſtis
diebus ſuſpenſa vidimus, inter pretioſa
à *Franciſco Pona* Equite Veneto cautè
habita cap. 15. non vera. Nam & *An-
dreas Marinus* Libro Venetiis apud Al-
dum 1566. edito, diverſa credit ab
antiquorum Unicornibus, quia lon-
giora ſint quàm ab antiquis deſcribun-
tur, nec ſtrias habeant Monocerotis
*Æliani*, adeóque ſubtilia ſint, ut po-

cula inde nulla conficiantur. Niſi tamen color obſtaret, ad purpureum potiùs quam nigrum deflectens, ut mihi quidem viſum, nihil rationibus ſuis obtineret *Marinus*. *Baccius* enim lib. 2. cap. ult. vera putat, quamvis repolita, quia abraſo cortice primo nigriori, ſtriiſque levatis, remanſerint longiores quàm craſſiores. Sanè *Alberti Magni* Unicornu ſine ſpiris quoque erat & cochlearum ductibus, quos neceſſarios urget *Ælianus*. Nigrius maris eſſe, fœminæ candidius prodidit quidem *Leonicus Goldionus* in deſcriptione rariorum Urbis Venetæ rerum, ſed non ſcio quo antiquorum teſtimonio ſexus diverſitatem ex colorum varietate deducat, ut etiam hoc paradoxo ſuſpecta cornua reddiderit quæ in majus tollere ſcripto ſuſceperat. Quod verò addit *Baccius* colore eſſe Cornu cervini politi & pallidi non nigri, meam auget ſuſpicionem, ut vel majorum Orygum cornua credam, vel Borealis balenæ dentes. Hoc voluit *Parens* noſter maturius nobis

bis fatorum invidiâ ſubtractus cap. 2. n. 3. illud ſimilium inter ſe comparatio perſuaſit, quæ non raro eâ facie & magnitudine paſſim vidi, præſertim in Muſæo *Catellani* Monſpelienſium Pharmacopæi percelebris. Sed de Cornuum horum Origine & Virtute obſcuriora ſunt indicia. Feruntur occupato Byzantio in Venetorum Rempublicam tranſcripta cum 12. pectoralibus ſatellitum Imperatorianorum, quum æqualem partem ſocii prædæ Galli cepiſſent, aliiſque quæ ad annum 1202. refert *Franciſcus Sanſovinus* lib. 2. de Venetorum urbe.

Magna hactenus de Unicornu illo jactabantur, quod in theſauro Hiſpaniarum Regis aſſervatur, ex quo fruſtulum Eminentiſſimo Cardinali *Franciſco Barberino* donavit *Philippus* IV. Verùm enimverò donarium illud Romæ iis ſtriis, quamquam tenuioribus, eo candore, & eâ ſoliditate obſervavi, quâ & noſtrum Septentrionale, & dentes Balænarum conſpiciuntur. Perforatum

ratum tamen cornuum in morem, quod ab arte fruſtrà ſperaveris, quia naturalis ejuſmodi dentibus eſt ex parte cavitas. Quàm alienus à vero Monocerote color ſit candicans, ſuprà expoſuimus.

Trajecti ad Rhenum aliud Unicornu in Æde baſilica nobis monſtrabatur, longitudine Pariſienſi par, ſufficienti amplitudine, unde ſingulis ſpectatoribus merum ebibendum propinat ſacrorum cuſtos, non ſine moleſtia, ut expertus ſum, ob inſignem longitudinem, cui tollendo vix extenſa manus ſufficit. Gyri frequentiores ad extremum apicem circumducti, ubi tamen recto tractu obliterantur. Cruſtæ color cinericio ſimilis, medullâ candidiore. In magno precio habetur, & pro vero venditatur, ut infinitam auri vim repetundarum damnata Colonia Agrippina, contra licitaretur. Minus aliud adjungitur per omnia, ſi magnitudinem excipias, prioris æmulum. Sed, ſi verùm fateri licet, neque hæc

Mo-

Monocerotis exactam referunt notam, majora quippe ſunt quàm pro merito, & candidiora quàm ab antiquis depicta veniunt. Dentes Balænarum Groenlandicarum fortè fortunâ per oſtium Rheni, quondam circa arcem Britannicam patens, ex naufragio appulſos, illorum temporum meruiſſe famam Unicornis arbitratus ſum, quibus ignotâ Septentrionali beſtiâ pro vero Unicornu cenſebantur quæcunque aliquâ ſimilitudine novitas invexit. Veram eſſe meam conjecturam iteratâ Unicornuum illorum inſpectione edoctus ſum. Inſculptum enim vidi nomen Norvegorum Regis *Suerri*, literis Runicis ᛋᚢᛂ*RR*I. Forſan ad Canonicos Ultrajectenſes à Suerro miſſum cornu, cùm in Inſula Ferogia exul ſacris vacaret, ſicut tradit *Snorro Sturlæſon* in Hiſtoria Norvegiæ. Repugnare quidem cavitas videtur cornibus propria, non dentibus; Verumtamen dentibus quoque cavitatem eſſe naturalem, nuper monuimus ex Elephanto & Apro.

Et

Et tam naturalis eſt cavitas, ut eandem in Unicornu Groenlandici fœtu obſervaverim. Levis tamen ea eſt, & pro dente tenello ſatis ampla. Nolo ſerram controverſiæ ducere, an perpetua Monocerotem comitari debeat cavitas, quam negavit *Philes* de Anim. proprietatibus in Monocerotis hac deſcriptione:

Ὠθεῖ τὸ μακρὸν καὶ φθορεῦς πλῆρες κέρας,
τῶν ἀκαλῶν ἐκπεφυκὸς ὀφρύων,
Οὐ κοῖλόν ἐστιν, οὐδὲ κοῦφον ὡς κέρας.

Id eſt:

*Longum tollit & noxium cornu,*
*Quod ad palpebras enatum,*
*Non cavum eſt, nec leve ut cornu.*

*Baccius* quidem lib. 2. de Unicornu aliquid omnibus neceſſitatis imponit. Sed Rhinocerotis exemplo refutatur & Cervorum. Nam ſufficit vel ſuperficiaria cavitas, vel rarior corporis compages, ut nomen cornu mereantur.

Ad Unicornium ſpuriorum ſeriem pertinet & Helvetorum illud ad oram fluvii Arulæ propè Brugiam 1520. inven-

ventum, celebris eo ævo famæ & precii, quod interiori facie album, flaveſcens exteriori, ſine ſtriis, duorum cubitorum longum, ſed ut moſchus odore præſtans præſertim igni vicinum. Falſum, vel certè Boreale erat hoc Cornu eburneo ſimile, per varias marinorum fluctuum ablutiones lævius factum & glabrum, cui ulteriorem manum odoris ſuavitate imbutam ars addiderat. A mari Boreali huc appulit contrario aquarum lapſu ob gravitatem, quum continuæ utriuſque ſint aquæ, vel per occultos fluviorum lacuumque meatus, quibus mare in illis pervium Danubii experimento credunt non pauci, & lacu montium Euganeorum perſuademur, qui ad radices collis cui Arquada, *Fr. Petrarchæ* domicilio nobilitata, incumbit, *la Solana* incolis dictus, ita diffunditur, ut Cephalos piſces, paſſeres, maris Adriatici alumnos proprios, eo ſapore proferat quo exquiſitæ Venetorum menſæ efferuntur. Par ſit de aliis judicium quæ

non

non mangonum aſtutiâ pro veris ex Borea vendita fuerunt, qualia ſunt Antverpiana, Mantuanum, & Potentiſſimi Polonorum Regis. Hoc quamvis ad utrumque caput artificio fucatum ſit, pro marino tamen Boreali penitioribus rerum ſcrutatoribus habetur. De Mantuano tantò minus dubito, quantò baſis loculamento ſeu alveo mandibulæ inſerta manifeſtior in icone apud *Aldrovandum* exprimitur, quod nihilo ſecius pro verò Unicornu laudant *Baccius* lib. 2. cap. ult. *Pona* de Ven. cap. 15. Antverpianum ultra ſeptem pedes longum cum parte, judicio ejus, fronti inſerta *Io. Goropio Becano* ſuſpectum fuit, cum ob longitudinem inuſitatam Monoceroti, tum ob colorem ſubalbidum, ut cornu eſſe piſcis alicujus conjectura non fallax dictaverit ex Iſlandia aut vicina Septentrione adportatum. Nondum tamen ex communi errore eluctatum *Virum Doctiſſimum* apparet, quòd de cornu hujus ſitu adeò laboraverit ejus arbitrio ita capiti beſtiæ infixi,

ſixi, ut radix inferiùs, extremum in altum velut in Cervis ſurſum ſpectet. Veritas & ſuſpicionum ſolutio ex alvei dentiſque marini nupera hiſtoria, quam ex Viri eximii *Olai Wormii* Muſæo ſuperiùs memorato huc reduxi, in ſolidum pendet.

Ad eandem propiùs quoque examinandum Unicornu magnitudine ſpectabile inter pretioſiſſima Sereniſſimi Danorum Regis caſtelli *Frederici Burgi* conſpicuum, longitudine ſeptem pedes Romanos excedens ſi partem alveo excipiamus incluſam, cujus menſuram pedis unius cum Unciis duabus deprehendi. Ambitus ſeptem minimum digitos complectitur æquali gyrorum flexu in acumen deſinens. Color ex candido mixtus & cinericio, quem per intervalla nigriores ſtriæ lineæque obſcuriores diſtinguunt, quantum ex figura ſuis coloribus expreſſâ conjicere potui, quam mihi ex arce Regia Vir facundiâ & eruditione inter primos ſæculi patriæque numerandus D. *Iaco-*

*bus*



*bus Matthias Aihuſius* tranſmiſit: cui mecum debebit Lector iteratum Monocerotis Danici typum ex naturali magnitudine hic ſtrictioribus lineis ductu artificis contractum, ſed tamen juſtâ totius corporis menſurâ, quam hac tabella curioſis oculis ſubjeci judicio preſſiori penſandam.

Aliud inſignis magnitudinis Unicornu ex Germaniâ Veneti mercatores Anno Chriſti 1643. Venetiis me præſente, venum advexerunt, coloris ſplendore & varietate veri cornu ſpeciem

ciem promittens, eoque magis, quòd abraſæ particulæ non dentium inſtar in ramenta quæ fricari poſſunt, concidant ſed inde quiſquiliarum ſquamæ eâdem planè viſciditate & lentore reſultent, quo ſecta quævis animalium cornua. Quibus indiciis Illuſtriſ. *Iulio Iuſtiniano* maximi Contareni digno pronepoti, oſtenſum fuit. Dentem tamen eſſe, vel alterius animalis cornu, promptum erit intelligere, illi ſimile, quod apud matrem fratriæ ſuæ deſcribit *Boëthius à Boot*. In cujus fidem alia non acerſam, quia hoc ſaxum antea volvi. Quid autem ad colorum varietatem & Cornuum lentorem? Verbo me abſolvam. Color inſititius fortaſſis, & lentor à pinguedine, quam cum cornubus participat cartilago dentibus piſcium nonnullorum ad radicem adnata.

Coronidis loco de Unicornu, quod Gedanenſis quidam, nomen *Eduardi Holwel* ſibi adſciſcens, Conſtantinopoli redux magno nudius tertius precio Venetiis venditabat, judicium meum interponam.

nam. Arbitror illud vel marinum eſſe dentem, vel Aſini Indici cornu. Dentem color probat ad candorem vergens, ſolidior corporis compages, & interior medulla. Sed ex Moſcoviæ theſauris naufraga fruſta clamitat. Non iverim inficias pretioſiori olim loco hunc dentem ibidem fuiſſe, quum incognitus eſſet: Jam verò frequentiori Danorum commercio ex Groenlandia uberior ejus proventus pretium imminuit, quod noſtra tempeſtate experti mercatores teſtantur. Aſininum cornu crederes, ſi vera de eo fama, quia Comitiali morbo feliciter ſuccurrat, quod, qua fiat vi, infra dicemus. Scrupulum movet nova feri Monocerotis experientia, quam in ſuo decantat ipſus idem. Nempe carbonibus injecta ſegmenta gratis vaporibus & odoratis nares feriunt, vel ſi nudo ſub alis corpore geſtetur, ſuaviſſimum de ſe diffundit odorem nullo cornuum familiarem. Quod Unicornis experimentum quis admiſerit ſanæ mentis? & hoc enim

fertur

ſertur ab auctoribus odoris expers. Imò ſi odorem de ſe ſpargit, pro ebore foſſili haberem, quod *Boëthius* lib. 2. cap. 242. ab odoris ſuavitate laudavit. Ut taceam facili fuco à diuturna odoratorum vicinia ſuavitatem adſciſci, quod Helvetico Unicornu contigiſſe mox notavimus. Nec odoratum eſſe debuit, quandoquidem non in manifeſtis ſed ignotis nobis eventibus vis Alexipharmaca deliteſcat. Id in Unicornibus ad oculum videas, priùs venena temperare, quàm vel incaleſcant vel odoratos vapores diffundant. Experimenta tamen cornu hujus oſtendere refugit Μυρελάμφορος, qui ſolis ignotorum teſtimoniis, precariis forſan, in amplam chartam corraſis, apud me auctoritatem infelici merce emendicare togatus voluerat.

Omnia Unicornua percurrimus, quæ paſſim in Pinacothecis ſervantur & pro vero Monocerotis cornu habentur, cùm revera dentes ſint balenæ Groenlandicæ. Collati enim hi dentes

cum cornibus quæ pro Monocerotis æſtimantur, tam ſimiles ſunt his quàm ovum ovo. Præter illa Cornua, quæ examinavimus, varia exinde nobis in patria occurrerunt, quæ dicta confirmant. Nam A. C. 1652. Groenlandicis ſuis navibus ad nos advehi curavit copiam horum dentium Nobiliſſimus Vir *Henricus Mullerus* Dn. de Draxholm, nunc Seren. Reg. Majeſt. Dan. Quæſtor & Conſiliarius, juſtæ longitudinis, quibus Muſæum Regium, & Academicum, ornantur. Sunt quæ tres ulnas noſtrates ſuperent, prorſus ſimiles illis quæ pro veri Monocerotis cornibus paſſim venditantur. Balenæ verò dentes ſunt, ſicut crania teſtantur, cui inhærent, & ipſius piſcis figura probat. *Nic. Tulpius* in Obſervationibus figuram quoque affert, ſed cranii ductus ſunt obſcuriores. Ex noſtro verò Unicornu cujus copiam laudatus *Mullerus* procuravit, varia conficiuntur vaſcula, uſibus quotidianis inſervientia, quæ facilè per ſtrias circulares no-
ſcun-

ſcuntur. Imo Thronum ſeu ſolium Regale ex eo genere ſingulari artificio exſtrui curavit *Fridericus* III. Rex Daniæ Auguſtiſſimus, opere verè Regio, cui orbis univerſus par non habet. Rariſſimè enim tanta hujus cornu pretioſi eſt copia, quæ tot uſibus inſerviat. In Groenlandia abundat, ut ad jacula ſua adhibeant incolæ, cùm ferro deſtituantur. Olim in Europa inter pretioſiſſima habebatur, auro contra æſtimanda. Exinde enim Epiſcopi Roſchildenſis *Abſolonis Huid* Pedum confectum fuit, quod ex Sacrario Capituli Roſchildenſis tranſlatum, in Larario *Friderici* III. Regis curioſiſſimi hodiéque cuſtoditur. Omnia huc tendunt ut demonſtrem, Monocerotem quidem à veteribus deſcribi pro animali terreſtri, ſed cornua quæ hodie in Orbe conſpiciuntur, & pro Monocerotis venditantur, eſſe balenæ Groenlandicæ, *Narhval* dictæ, dentes, ſicut ſuprà à nobis dictum fuit fuſiùs.

## CAP. XXVIII.

*De Monocerotis ferocia. Varthemanus corrigitur. An Virginibus ſe ſubmittat. Fortitudo Monocerotis & de ea Rabbinorum alucinatio.*

FEroces Naturæ impetus vario experimentorum apparatu in Monocerote animadverterunt hactenus omnes, ut nec cicurari nec vivum capi audacter affirment *Ælianus*, *Plinius*, & *Solinus* ex antiquioribus, & ex poſterioribus quotquot veriori calamo hiſtoriæ ſeriem duxerunt. Neſcio tamen quâ manſuetudine innatum furorem temperent nonnulli, ex ingenii libertate potiùs quàm veritatis. Hujus anteſignanus fertur *Ludovicus de Varthema*, cum Ulyſſe

*Varios hominum mores qui vidit, & urbes.*

Ejus enim interpres *Aldrovandus* libro de Quadrup. ſol. ita ex Italico tranſtulit: *Sanè id animal ferum videtur, verùm*

*rùm ferocitatem neſcio quâ comitate condivit.* Quæ verſio multis diſputandi dedit occaſionem, & ancipiti judicio de fide & veterum & *Varthemani* dubitandi, adeò ut *Iohannes Langius* magni nominis Medicus in Epiſtolis de Bubus Indiæ Unicornibus *Varthemani* obſervationem explicet, aliique diverſorum locorum vario tractu feritatem manſuetudinemque in fera diſtinxerint. Induxit quoque *Parentem* noſtrum τὸν μακαρίτην ut novam ex ætate juvenili conciliationem ingenioſè moliretur, idque verè ſi rem inſpicias, ſed præter *Varthemani* mentem, quam liberiori quàm par fuit circumſcriptione ad Romanam conſuetudinem flexit *Aldrovandus*, quum nuſquam id apud *Varthemanum* compareat, ſuccinctæ narrationi hæc addentem: *Veramente queſto moſtra di eſſere uno ferociſſimo & dicerto animale.* Pro *dicerto*, Typothetæ vitio, omninò legendum *deſerto*, quia ferociſſimum animal & ſolas terras amans hac epigraphe depinxit, qua principes Etru-

Etruſcæ elegantiæ aliàs uſi ſunt *Franciſcus Petrarcha*, & *Dantes*; *ille* quidem:

*In belle donne honeſte, atti ſoavi*
*Sono un deſerto, & fere aſpre, & ſelvaggie.*

*Hic* verò Infern. Cant. 26.

*E con quella compagna*
*Picciola, dalla qual non fui deſerto.*

Nec aliter id vocis explicant *Franciſcus Alunnus* in ſylloge Petrarchiana, & *Academia Cruſca* ſermonis hujus arbitra, quam per feritatem ſolitudinemque, non comitatem, de qua etiam apud *Andream Baccium*, quem Latinè loquentem induxit *Aldrovandus*, altum ſilentium, niſi novâ aſſeveratione, antiquo loquendi more, dicta firmaverit *Varthema*. Facile tamen miteque animal alieni generis animalibus & fœminino ſexui fertur. De illo *Philes* in Iambicis:

Πρὸς μὲν ἀλλόφυλα θηρίον γένη,
Ὁ θὴρ προσηνὴς, ὡς ἐθὰς ποίμνῃ σκύ-
λαξ.

Τὸ

Τὸ συγγενὲς γὰρ καὶ κατὰ φύσιν φίλον,
Ἐναντίον μάλιστα καὶ δύσνουν κρίνει.

Quæ eodem metro verſuum ita expoſuit Gregorius Berſmannus,

*Beſtiarum cæterarum erga genus*
*Comem ſe gerit, ceu gregi aſſuetus canis.*
*At non item cognationem amat ſuam,*
*Sed odit, infeſtiſſimamque judicat.*

Virginum conſpectu quadam veneratione ſubſidere aliquibus perſuaſit credulitas poſterioris ſæculi auctoribus, quanquam Rhinoceroti id aſſignet Gregorius Papa cap. 39. Job. *Iſidorus* lib. 12. Orig. cap. 2. *Tantæ eſt fortitudinis, ut nulla venantium virtute capiatur: ſed, ſicut aſſerunt qui naturas animalium ſcripſerunt, virgo puella præponitur, quæ venienti ſinum aperit; in quo ille omni ferocitate depoſita caput ponit, ſicque ſoporatus velut inermis capitur.* *Albertus Magnus* lib. 22. de Animal. *Dicunt quòd hoc animal adeò virgines puellas veneratur, quòd ipſis viſis manſueſcit, & aliquando juxta eas ſoporatur, & capitur, & ligatur.* Natalis Comes lib. 4. de Venatione eadem canit:

*Vir-*

*Virginis amplexum cupiit fera bellua (nam ſic*
*Fama refert) ſomnumq́ue capit placidamq́ue quietem*
*Virginis in gremio optatæ ſomnoq́ue ſolutæ*
*Funibus invenit ſeſe vincliſq́ue ligatam,*
*Seu natura dedit ſecreti ſemina amoris*
*Virginis, atque feræ eſt atrox innata cupido;*
*Sive alia eſt ratio: tamen hac adducitur arte.*

Sed ratio eos fugit & veterum auctoritas, unde in varia tracti, modò de Monocerote, modò Rhinocerote confuſis nominibus fabulantur. Meliùs omnino ad ſui generis amorem refert *Geſnerus* ad exemplum ut arbitror *Philetis*, qui in Iambis de Animal. prop. de eo canit:

Πραΰνεται δὲ παρὰ τὴν θῆλυν μόνον,
Οἴστρου χαλινοῖς ἐκδαμάζων τὸν τῦφον
Ἕως τὸ ῥευστὸν τῆς γονῆς ἀφυβρίσῃ.

*Manſueſcit autem comparis torum ambiens,*

*Fre-*

*Frenis furoris edomans ferociam,*
*Dum ſeminis deſæviat laſcivia.*

Ingenioſius verò *Henricus Kornmannus* lib. de Jure Virgin. cap. 92. pro Hieroglyphico habet, Chriſtumq́ue eo ſignificatum qui Mariæ Virginis pulcherrimæ virtute, ſapientiâ, & pudicitiâ illectus in ſinu uteri virginalis caput altiſſimæ Divinitatis humiliter inclinavit; quæ *Theophraſti Paracelſi* fuit expoſitio in Tractatu quem Azoth inſcripſit ſeu de Ligno & Linea Vitæ, ubi Unicornu Chriſti typum, Mariæq́ue pudicitiæ evidens ſignum, pio, præter ſolitum, ſenſu profert. Quid ſi Mileſii ſermonis hic agnoſcamus veſtigium, & alia ingeniorum myſteria? ſubinde enim novâ ſcribendi viâ vel perſonas fingebant, vel perſonarum actiones, vel utrumque, ut tectis nominibus vitia inſectarentur, quod ſcriptionis genus duce *Apulejo*, *Achille Tatio*, & *Heliodoro* infinitos ævi noſtri invenit aſſeclas, inter quos principes ingeniorum eminent *Joannes Barclajus* Argenidis Euphormio

mioniſque auctor, *Francion Pariſienſis*, & *Io. Fr. Lauredanus* Nobilis Venetus illuſtriſque Dianeæ conditor. Hoc tacito invectivæ ſtylo Samſonem Virorum fortiſſimum, ejuſque victum illicito meretricis amore animum, atrociter perfodiebant, elegantiſſimo emblemate antiqui ab animali deſumpto, cui primæ fortitudinis deferuntur partes.

Inter propria Monocerotis numerant quoque fortitudinem inſignem auctoritate *Scripturæ*, & *Æliani*, cui cornu inexpugnabile fertur. Ratio ex materia peti debet, forma, & loco. Locus in fronte aptiſſimus propulſandæ injuriæ. Forma ſeu virtus in uno fortior, quæ in bicornibus diſperſa. Cui materia durior & ſolidior ſubſidiarias operas mittit. Soli *Rabbini* antiqui in *Libro Ziſri* huic adverſabantur, quum in expoſitione *Deut.* 33, 17. Taurum fortem prædicant, ſed cornua habere minus pulchra, ראם, Reem verò, ſeu Monocerotem cornubus præditum elegantioribus, ſed minoris roboris, indéque

déque extremo Moſis voto utrumque conjunctum fuiſſe, tauri nempe fortitudinem, & Monocerotis pulchritudinem. Quæ ex ingenio illorum ficta ſani habent nihil, ſi ſanus ego: utrumque ſanè de fortitudine & robore cornu interpretamur, in quo populos ventilabit uſque ad terminos terræ, quod fruſtra à pulchritudine augurabatur Divinus.

## CAP. XXIX.

*Signa Cornu veri. De ſudore multa. Venæ quibus data. Ebullitio. Ex canibus experimentum columbiſque. Ex circulo. An Catholica inde medicina. Vera Unicornuum virtus.*

VArias, ſed ſuſpectas pleraſque Monoceroti virtutes invexit antiquitas, quas tamen in immenſum auxerunt novatores majori decipiendi ſtudio, quàm juvandi. Originem ingentis famæ ad adulationem, vetus in Republica omni malum, deduxit *A. Marinus*: quam omni ſtudio conſervandam

dam vel eo nomine urget *Baccius*, quòd Magnatum inſidiatoribus anſa nocendi, ſuſpicione tanti remedii, præſcindatur. Nunquam tamen ab erectis mentibus impetrabit, ut culpam vitii alio vitio tegant. Sacra Principum Majeſtas juſtitiâ potiùs & innocentiâ ſe tutatur quàm vano inſidiantium metu. Unde dubitem, num quidam ſuperſtitioni veriùs an credulitati adverſam frontem oppoſuerint. Totius diſputationis cardo duplici momento vertitur, num tantis, ut jactatur, viribus excedat Unicornu, & quibus illæ cognoſcantur ſignis. Signa ex multiplici deſumunt fonte agyrtæ, ex ſudore præſente veneno, ebullitione in aqua, columbis vel canibus binis ſuccum lethiferum pari pondere haurientibus, circulo per pulverem Unicornu deſcripto quem impoſita nec Scorpius, nec aranea transgrediuntur. De his inter ſe litigant *Eruditi*, præſertim ſudore & ebullitione, haud procul fabulis, quorum utrumque ſuos invenit defenſores

ſimul

ſimul & oppugnatores. Illi ſociatur *Baccius*, his *Martinus* accedit, nomine ſimiles, ſed differentes mente, quos idcircò inter ſe eâ fidelitate & brevitate committemus, ut ad judicandi rationem exactior nobis cura exſurgat. In ſudorem naturalem præſente veneno reſolvi non poſſe Unicornu verè urget *Marinus*, quia animâ nec vegetativâ, nec ſenſitivâ præditum ſit, quanquam ſi preſſiùs loquamur, nec ad vegetantis primam animam confugere debuerit, quum nec plantæ verè ſudorem emittant, nec Mineralia. Non plantæ, quarum ſuccus exſtillare dicitur & manare, nunquam verè exſudare, quia vel vi inciſa plorant, vel ob tumentes ravos exprimunt. Prioris generis Balſamum eſt arbor, cujus ſuccum, non ſudorem, graphicè exprimit *Plinius* lib. 12. cap. 25. *Succus è plaga manat, quem Opobalſamum vocant, ſuavitatis eximiæ, ſed tenui guttâ, ploratu lanis parva colligitur in cornua.* Qui locus in mendo cubat, reſtituendusque cum *Dalechampio* te-

tenuis guttæ ploratu, lanis p. c. 1. c. Certo autem artificis temperamento inciditur, non ſponte ſudoris inſtar, ſed, eodem *Plinio* & *Solino* teſte, vitro, lapide, oſſeiſve cultellis; quod confirmat *Tacitus* lib. 5. Hiſt. *Ut quiſque ramus intumuit, ſi vim ferri adhibeas, pavent venæ: fragmine lapidis, aut teſtâ aperiuntur.* Poſterioris ordinis ſunt arbores quotquot ſucco aliquo ſeu pice ſeu reſina manant. De quibus *Plinius* lib. 14. cap. 20. & illæ quæ in Calabria manna, gummi in morem, ſive ſponte, ſive inciſæ proferunt: de qua eſt vera *Gabrielis Fallopii* lib. de Medic. ſimplic. purgat. cap. 37. conjectura, & *Io. Nardii* de Melle, quibus lucem dederat *Altimarus*, quum mannam diceret eſſe ſuccum arboris (Orni ſcilicet, vel Fraxini) benignitate aëris concretum, quanquam & in foliis Calabrinis ros cœleſtis colligatur Ciceris formâ & magnitudine, ſed id rarius. De metallis ſuperſtitio veterum prodidit & ſtatuis marmoreis, ligneiſque ſiniſtro inpri-

mis

mis omine ſudaſſe. *Plutarchus* enim in Vita Alexandri, Orphei ſimulachrum quod in Libethris ex cupreſſo exſtat ſudorem emiſiſſe tradidit. *Virgilius* quoque 1. Georg.

*Et mœſtum illachrymat templis ebur,*
*æraq́ue ſudant.*

Et in Cæſaris expeditione *Luc.* 1. Pharſ.

*— — — Urbiſq́ue laborem*
*Teſtatos ſudore lares.*

Quæ omnia malæ vel Dæmonum vel Sacerdotum arti adſcripſerim.

Quidquid horum ſit, ſudoris appellatione indigna omnia quæ in ſpeciem halitus ab inſito calore non ſoluta, vel violento motu ab interna vi confertim non erumpunt, ita exigente *Galeno* lib. 1. de Tuend. val. aliiſq́ue locis infinitis: ut quibus & venas & tenuius ſerum urinamq́ue denegaverit ordo naturæ diverſus, ſudorem mittere non dicantur. Venæ quidem etiam plantis aſſignantur & mineralibus à *Plinio* l. d. lib. 13. ſed coactâ vocis licentiâ ad ſimilitudinem univerſi, quo modo venas

ma-

materiarum ſelectiores dicunt auctores, *Solinus* cap. 28. de Sale gentis Amantum: *Tanta ibi hujuſce venæ copia eſt, ut tecta faciant è ſalinis. Statius Papin.* Sylv. 1. lib. 3.

*An picturata lucentia marmora vena*
*Mirer, an emiſſas per cuncta cubilia lymphas.*

Quam venam *I. Caſperius Gevartius* Notis ad hanc ſylvam contra mentem *Ioh. Britannici*, de tubo rectè interpretatur. Eo enim tubo ad æſtivum calorem minuendum per ſingulos cubiculorum parietes more ſæculi delicati deducebant, de quo multa adeò leguntur in ſiniſtro latere lapidis antiqui *Panormi*, qualem etiam puto fuiſſe canalem plumbeum, curvitate cornu, in Rhodano præterfluente inventum, quem veſtibulum Curiæ *Arelati* in Provincia cum hac Inſcriptione exhibet:

S. VALERIVS SVRILLIO
C. CANTIVS.

Quamvis tubulos fictiles apud *Vitruvium*,

*vium*, *Plinium*, & *Varronem*, plumbeis præpoſitos non ignorem, & lapideos apertiùs Ateſtæ inter antiquæ urbis rudera cum *Io. Bapt. Zoia* Viro Conſultiſſimo & patriæ antiquitatis callentiſſimo invenerim, Romæ tamen in thermis Diocletiani & Antonini plumbeorum, in aliis ædificiis minoribus fictilium exſtant veſtigia. Ex Aquilejæ ruderibus plumbei aquæductus duo nuper eruti, his characteribus, in ædibus *Sertorii Urſati* Nobiliſſimi Patavinorum Medici ſervantur:

AQ. DEMET. F.

Sed parum ille ſeu arborum ſeu aliorum ſudor momenti inſignibus Unicornuum æſtimatoribus afferet, quum ille ſponte ſuâ exſtillat nullo externo movente, nullius, qui veneni rationem habeat, præſentiâ, vel inciſurâ leni rorantium ramorum exprimatur. Difficultatem hanc ab interioris cauſæ defectu in mortui Monocerotis Cornu percipiens *Baccius*, leniori impetu ſudorem

dorem aliquem in Cornu concedit, ſed ſecundariâ ratione & ex eventu, quemadmodum polita quæque vitra, ſpecula, marmora feruntur ſudorem mittere, externâ aëris humiditate vaporibuſque à cibo imbibitis. Idem enim cerasto apud *Petrum Aponum* in manubrium cultri efformato, & linguæ ſerpentum apud Magnates ſæpius uſu venire. Sed fruſtra velum obtendit illis quæ nullâ arte tegi poſſunt. Non enim hæc mentem primorum fabulæ auctorum aſſequuntur, qui Unicornu præſente veneno ita ab inſito principio alterari voluerunt, tanquam præſente hoſte, ut labore inſigni & velut in anguſtiis ſudorem exprimat, quo modo ſæpè ſæpiùs turbantur homines in ſudorem ſoluti, quotiens præſentem vel vident vel ſuſpicantur, quem naturali odio averſantur; quod & de jumentis poma geſtantibus teſtatur *Plinius*. Quæ gerris Siculis vaniora, quum viventium ſit proprius affectus hoſtem metuiſſe. Nihil tale in vite obſervant

hor-

hortulani, quæ braſſicam quidem fu-
git ſolo racemi flexu, ipſaque braſſica
adverſa cyclamine & origano areſcit,
non ſudat; quercus quoque & olea tam
pertinaci odio diſſident, ut altera in
alterius ſcrobe depactæ moriantur, *Pli-
nio* narrante lib. 24. cap. 1. Plus ſanè
in Vegetabilibus, quàm cornubus, vi-
tæ, majoraque diſcordiæ & concordiæ
documenta, minus tamen, ut videtur,
ſudoris. Nec ſudorem eo, quo *Baccius*
interpretatur, ſenſu acceperim, tum
quòd amoris potiùs quàm odii natura-
lis eſſet indicium, tum quòd peſtilens
foret ſudor à veneni halitu excitatus.
Enimverò quæ naturali odio diſſident,
tantùm abeſt invicem jungantur, ut
quàm longiſſimè ſe fugiant, nec peſti-
ferum humorem in Unicornu colle-
ctum ulla teſtatur auctoritas, ut taceam
alia frigiditatis glabritieique ratione
denſari in ſpeculis marmoribuſque gut-
tulas, quàm in Unicornu fieret, nec
denſo nimis nec lævi. Ceraſtes & lin-
gua ſerpentum, ut dubia, malè dubiæ
rei

rei ſubvenient, quamvis à manus humidæ frequenti attritione vaporoſum quid in manubriis cultellorum quibuſcunque excipi novum hactenus non ſit. Unde hanc ſudoris experientiam cum *Marino* & *Cardinale Ponzetto* lib. 2. de Ven. cap. 4. planè inficiamur donec certiori fide probetur. Alio experimento quòd ſimile quid fieri concedat *Ponzettus*, in oſſe nempe aliquo in ſerpente nato ad præſentiam Napelli vel fellis Leopardi guttulis reſudantibus impleto, ut diverſum ſine cenſura rigidiori dimittimus, quum ſimilitudine quadam in objectam rem affinem ferantur effluvia corporum, non contrarietate repugnantem, quæ Monocerotem inter & venenum perhibetur. Jam ebullitionem in aqua factam pro fallaci ſigno veri Monocerotis eâ de cauſâ traducit *A. Marinus* & cum eo ſequaces, quia communis is ſit effectus reliquis ſiccitate aliquâ & corporis poroſi tenuitate conſpicuis, Bolo Armenæ, Terræ ſigillatæ, & calci. Quam pro-

propoſitionem certo temperamento concedit *Baccius*, ut Monoceroti ob ſingularem naturæ occultæ conditionem ſoli reſervetur ſine calcinatione in aquis efferri, quum reliqua non niſi combuſta ebulliant. Pro *Marino* autem ſtipulator ego, ſpondeo non hic tam calcinationis, quàm poroſitatis haberi rationem. Sicca enim tenuiùs extenſa dum variarum aquæ particularum admittunt impetum, bullæ excitantur ob incluſum aërem, quæ continuato tractu elatæ & depreſſæ aquam cum ſonitu movent, ceſſantque ſimul ac in locum aëre ante plenum aqua illabens ſucceſſerit. Hæc autem ebullitio ſiccitatis ſolius ratione excitata, communis pluribus, nihil occulti condit. Nam & Ceraſtis Cornua aquæ veneno infectæ injecta ebullire obſervantur, & foſſile Unicornu magno ſtrepitu aquam concitaſſe nuper, quum illud cum alio Judæi cujuſdam Unicornu vero, ut putabatur, conferrem, expertus ſum, ſimulque Melitenſem terram,

ram, quam ex D. Pauli ſubterraneo cubili extraxeram, denſius jam compactam, ubi lymphæ commiſiſſem, grato ſpectaculo inde ſurgentes bullas conſpiciebam, quà viam patulam aquæ mador fecerat. Quanquam negari non debet ea frequentiùs in aquis efferveſcere, quæ ignis vim fuere experta, utpote aridiorem ſubſtantiæ conditionem & poroſiorem indepta, humido, quo pori repleti, penitùs abſumpto. Cornua tamen, quotquot ſunt à calidioribus plerumque nigri ſucci fuliginibus elevata, ut atra bilis, evidenti ebullitione alternatim exſurgunt. Aliis experimentis veritatem explorantibus, binis columbis, vel totidem canibus, exhibito æquali pondere vel diverſo veneno & Alexipharmaco, ut puerilibus falſiſque indignatur *Marinus*, utramque enim morti concedere beſtiam, quamvis illa tardiùs quæ Unicornu aſſumpſerat; præterea Arſenicum aliaque animalibus gratiâ experiundi ingeſta, non eſſe venena, ſed

corroſiva, quibus antidota minùs convenienter opponuntur, quum unctuoſa eſſe debeant & emplaſtica; *Mercurialis* Conſult. 63. Arſenico Cryſtallino ſorpto Piſanum illum non ab exhibito Unicornis pulvere, ſed ſuperveniente vomitu evaſiſſe ſuſpicatur. Quod & canibus evenire exiſtimandum. Quibus nihil video à *Baccio* veritate forſan victo repoſitum. Vidiſſe ſe aliàs apud *Cardinalem Tridentinum* ſimile in columbis ſpectaculum ſerio affirmat lib. 3. à quo non abludit *Garzia ab Horto* in canibus obſervatio lib. 1. de Arom. Hiſtor. cap. 14. & *Philippi Hoechſtetteri* Decade 5. Obſerv. Med. caſ. 9. verùm utriuſque diverſum à Monocerote cornu fuiſſe oportet, vel eventum impatientes moræ poſtea infelicem ex primo confeſtim ſtatu citiùs juſto æſtimaſſe. Feliciùs in porcellis ſuccedere experimentum quàm canibus columbiſve quidam credit, quòd canes ſtatim evomant, columbæ verò faciliùs digerant. Sed nec infeliciter duriora etiam

etiam concoquunt porcelli. *Iordanus* lib. de Peſte, quod apud Judæum, fidei ſecretum viderat, refert: *Iudæus me præſente Cornu Monocerotis deſcribebat circulum quo infinita animalia venenata Scorpiones, ſerpentes, Araneas includebat: omnia velut attonita permanebant in medio, neque ullum verſùs circularem lineam progredi audebat: extra circulum poſita, quoquo-verſùm liberè movebantur.* Auget hiſtoriam *Aldrovandus*, reptantes beſtias cùm terminum tranſire non potuiſſent, umbrâ an virtute? enecatas eſſe. Non abſimilia in Lexico Philoſophico *Ioh. Henrici Alſtedii* pag. 1906. de Monocerote ſcribuntur, quòd bonæ notæ ſcorpiones uni vaſi incluſos necet. Memoriâ dignum *Fabricii Bartoleti*, Viri Maximi, cenſeo experimentum, quod Mantuæ apud eundem præſens obſervavit *Ioannes Veſlingius*, ſummo præceptori famâ & eruditione par. Impoſitas quippe Monocerotis Mantuani Ducis fruſtulo tumentes veneno araneas, ſine mora mortuas concidiſſe. Equidem

recu-

recutiti allatam apud *Iordanum* obſervationem non magnopere moramur, tanquam ſuperſtitioni vicinam, &, ſi rem eloqui liceat, Diabolicam, quâ ex *Cabala* ſua informantur ejus ſocii, ut venenatis animalibus terminum pro lubitu facilè definiverit. Circulo enim ductu Magico inprimis delectantur profanæ mentes, ut ex *Theophraſto Paracelſo* apparet aliiſque Sagarum confeſſionibus, quæ etiam ductis in orbem characteribus fortunas nominum & furta divinant. Quinimò ſuaſu Dæmonum circularem orbem ingrediuntur ac pentagona clam Dei nomina continentia, quò tuti prorſus ab illorum violentia reddantur, & ut nato infanti ſecuriùs conſulant à Dæmone, fœminâ לילית illis dictâ, infeſtato, ter circulum in cubiculo puerili rhamno cum aliis Hebraicis characteribus ſignant, quibus Divina nomina exprimunt ſimul, & infantem muniunt ne præſcriptos fines Dæmon tranſcendat, ut ex *Io. Laurentio Anania* colligo lib. 3.

de Natura Dæmonum. Itaque apud ſuperſtitioſos Romanos frequentes adeò arbitror in ſacrificiis, militia, & ubique circumitores fuiſſe, ut hinc originis ſuæ principia referrent. Ex *Lilith* לילית Lucinam derivat *Iac. Phil. Tomaſinus* Præſul Doctiſſimus lib. de Donariis cap. 14. ad quam placandam hodierni Judæi parietibus cubiculi hæc verba ſuperſtitionis plena inſcribunt: *Adam, Chava, Chuz, Lilith*; hoc eſt, procul hinc eſto Lilith. Experimentum *Alſtedii* verum eſt, ſed ἀπροσδιόνυσον, quia ſcorpiones non cornu impoſitum necavit, ſed mutua laniena, quam ſine Monocerote aliâque re, cum voluptate apud Conſobrinum fratris loco colendum *D. Henricum Fuiren*, Naturalium rerum peritiſſimum, æſtate proximè exactâ ſæpiùs contemplati ſumus. Præterea ſcorpiones noſtros, præſertim Italicos, innocuos affirmat *Plinius*, quod vario eventu comprobatum teſtari poſſumus. Major Cl. Virorum *Bartoleti* & *Veſlingii* auctoritas,

ut

ut aliquam contra venena vim credam. quæ aliis cornibus ex æquo competit; non obſtante quòd Mantuanum Unicornu à claſſe verorum ſuprà excluſerim. *Palmerius* enim ſimili conceſſione lib. 2. de Febr. Peſt. cap. 18. non negandum cenſet illius vires contra venena valere poſſe, modò non adulterium & fraus accedat.

Unde ejus defectu Rhinocerotis cornu præſcribunt, aut Cervinum, ut *Ioan. Renodæus* lib. 3. de Medic. Mat. cap. 21. de ſe teſtatur: *Cùm omnes ægroti æquè non valeant opibus, debet tantùm divitibus exhiberi Unicornu; aliis fortunæ tenuioris cornu Rhinocerotis, ut etiam Cervi præſcribo, ſucceſſu non minus felici.* Sed ea Unicornu poteſtas facilè ex concepta animo præmunitione invecta fuit, quum ſi cornu ipſum præſentes conſpexiſſent, aliò forſan experimenti dexteritate deflexiſſent ejus patroni. Hic loci reticere non poſſum circulatoris iſtius Romani, qui in foro Navonæ circulari barbâ miracula jactat & experi-

perimentorum ſuorum ſtupendos effectus, ludibrium quod mihi auſcultanti debuit. Quum enim de Rhinocerotis cornu multa, plura verò de Monocerote, quod domi ſervabat, ſeſquipedalia verba credulis ſpectatoribus expendentem rogaſſem, ut Monocerotis veritatem, adeò à ſe decantatam, aliquo experimento præſenti nobis firmaret, id niſi magno pretio acturum ſe ſerio pudore ſuffuſus negavit. Profectò omnis oſtentatio non caret ſuſpicione mendacii, ut optimè *Symmachus* lib. 1. Epiſt. 1. Credite vati, longiùs à vero abſunt ſuperbiora de Unicornu promiſſa Agyrtarum & Medicorùm, qui nova potiùs & miranda quàm utilia in uſum deducere amant, quæ partim retulit in Opuſculo ſuo *Pater*, partim ſibilo digna ab *Andrea Marino* exploduntur. Quomodo enim ad vomendum perducerent, quum ſubtiliori principiorum mixturâ faciliùs diſſipetur venenum, vel extinguatur potiùs, ſiquidem cum luce,

luce, ut aliàs credebamus, naturæ commercium exerceat. Quomodo à ſpaſmo? an illo qui ab evacuatione ortum trahit, an qui à repletione, an denique qui ab utroque? Hujus ſanè ut contrariæ cauſæ, ita contraria erunt medicamenta, illa verò nondum auctores determinarunt. Α᾽δύνατον magis videtur ab omnibus morbis incolumem præſtare poſſe: quippe benè Regibus illis, qui olim ex Unicornibus potabant, fuiſſet actum, ſi ad hæc tempora fatum cum imperio extendiſſent, ut ſimili ſententiâ apud *Philoſtratum* jocatur *Apollonius*. Notandum tamen Unicornu Aſinino iſtas à Veteribus deferri virtutes, teſte *Æliano*, non Monoceroti vero, quæ quum confunderet *Marinus*, huic denegavit quod Onagro conſenſus dederat. Unde minus rationibus ejus faveo per vim ad Monocerotem tractis, quàm Onagro, de quo *Philes* perhibet ebrietati reſiſtere, veneno, & ſacro morbo. Per vomitum eo purgat modo, quo Emetica alia alexipharmaca

pharmaca, Anagyros, Proſerpinaca, Caſtoreum, quæ cum vomitione venenis ſumptis reſiſtere fidem fecit *Plinius* diligentiſſimus Naturæ ſcrutator, lib. 27. cap. 4. & 12. lib. 32. cap. 3. Spaſmo ex repletione nervorum medetur inſitâ exſiccandi facultate, quemadmodum aër calidus ſiccuſque, ſudaria, & aquæ thermales. Quod ſi conjunctum cornibus frigus obſtaret, in promptu ventriculi corporiſque nativus calor momento temporis leve frigus temperaturus adeſt; tametſi ignotiori natura ſpaſmo ex maligna qualitate vaporeque acri, ex Pelopis ſententia apud *Galenum* lib. 3. de Locis c. 7. & *Saxoniam* Part. 1. Præl. cap. 15. excitato, rectiùs ad mentem veterum ſubveniſſe dixerim. Univerſalem hanc Alexipharmaci virtutem non Onagro, ſed Unicornu ſuo, ut credit, vero nuper Gedani revocavit *Euſtachius Holwel*, cujus mihi indicium fecit Vir Illuſtris *Daniel Blanckius*, ſpectatiſſimus Patavinæ Univerſitatis Prorector, ſucceſſor noſter.

noſter. Quem alius ſequitur Venetiis longo teſtimoniorum procinctu ſtipatus, qui Podagræ, lui Venereæ, Epilepſiæ, Apoplexiæ, Febri peſtilentiali, venenis, Colicæ, Dyſenteriæ, aliiſque hoc ſolo cornu ſe oppoſiturum gloriatur, quo ſucceſſu ipſe viderit. Quæ tamen ad Unicornu, quod auro precioſius æſtimat, veritatem conferunt nihil. Solâ quippe ſiccandi vi, adſtringendi & refrigerandi ſingulis pro naturæ errantis diverſitate occurritur, non aliâ ratione quàm ad hydropem cornu bubulum *Plinius Valerianus* lib. 3. c. 12. & ad Podagricos dolores ovilla cornua cremata *Hieronymus Gabucinius* Comm. de Pod. commendant, & cornu Cervinum febribus malignoque igni vulgò, Aſininum denique comitiali morbo opponitur. Et hoc enim inſtituto cornu utrumque tam caprarum quàm cervorum ad candorem dentium contrahendaſque molles prægnanteſque gingivas approbavit *Galenus* lib. 11. de Simplic. facult. Tandem Catholicum Ale-

Alexipharmacum ex Unicornu eâ cautione & opinionis moderamine inficiatur *Baccius*, ut contra omnia non ex ſe valere credat, quatenus roboratum à ſe cor ad reſiſtendum cunctis muniat. In quo non eum ratio, meo judicio, deſtituit, quum ſingulis venenis ſua tantùm opponantur remedia. Quod novæ antidoti compoſitionis *Andromacho* dederat occaſionem, teſte *Galeno* lib. de Antid. & lib. 1. de Compend. ſec. gen. cap. 3. quia naturæ diſcrepant diverſitate virulenta quævis. Id viderat in Orig. *Iſidorus* exemplo viperini veneni, & doctiori filo poſt *Angelum Baldum*, *Carolumque Panicellum* confectum ex Commentariis de Vipera cedro dignis *Marci Aurelii Severini* Viri profundi exſpectamus. Hinc magnâ veri ſpecie tot Antidota, quot Venenorum genera pronunciat *Marinus*, licet unius veneni plura ſubinde ſint remedia. Nam viperinam peſtem, ut hanc gratiâ exempli adducam, infringunt propria caro ex *Galeno* & Theriacæ

riacæ experientia, Cunilla pariter *Ariſt.* monitore de Adm. Audit. terra formicarum, hœdus, vel gallus, vel agnus recenter ſtrangulatus cum eorundem pulmonibus calidis, corde vel jecore, vitis albæ ſylveſtris cinis apud *P. Vegetium* lib. 3. Veter. cap. 4. & 79. balſamum verum Orientale experimento *I. Veſlingii* in Alpinum, & denique Achates Siculus.

Maneat igitur pro Aſino Monocerote veterum auctoritas, quâ quum deſtituitur Unicornu verum, minus huic quàm illi tribuimus. Ne tamen exili aliquâ virtute privetur, jubet æquitas quæ cunctis cornibus aliquid ejus diviſit, ſive innatâ exſiccandi poteſtate, ſive congenito balſamo, quo abundat. Caprarum cornu fugantur ſerpentes, teſtimonio *Plinii* lib. 28. cap. 10. Fugari eoſdem nidore cornu cervini idem tradit cap. 9. ut alios cervorum cornu effectus ſilentio involvam. Quod de Bobus Aſiniſque Indicis quoque ſtatuendum ex *Æliano*; *Phi-*

*Philete* & *Philoſtrato* liquet. In familia ſua cornu quoddam ſervari ignotæ ſpeciei prodidit *Philippus Hoechſtetterus* Decad. 5. Obſerv. Caſ. 9. deprædicatum à *Petro Paulo Hoechſtettero* in Dyſenteria Peſtilentiali, ipſum verò ſe in malignis febribus aliiſque certo ſalutis eventu vim hujus exploraſſe. Fatetur de Monocerote *Amatus Luſitanus* Enarrat. 52. in lib. 2. Dioſc. Medicos Luſitanos; & alios qui interiora Indiæ penetrarunt, de ejuſmodi animali nihil narrare, niſi quòd in maximo precio ſit apud Indos adverſus venena & febres peſtilentiales. A quo experimento alieni non erant olim perpetuæ Venetorum Reipublicæ Sapientes, quum emptum Monocerotis fruſtulum in puteum armamentarii vaſtiſſimi conjicerent, ut populum publicis in eo miniſteriis vacantem ab occultis malignorum inſidiis munirent, aquamque ſempiterno Alexipharmaco temperarent. Traditur hæc Patrum purpuratorum providentia communi incola-

colarum ore, quorum voces *Nicolaus Craſſus* J. C. & Veneti fori delicium, ingenuè ad me detulit. Hincque adeò eſt, ut apud veteres non contemnendus mos inoleverit, quò ſe ad omnia tutos præſtarent, cornua in frequentem uſum pertrahere. Modò enim poculi erant vice, modò ornamenti, modò in Medicorum officinas veniebant, modò popinas. Quæ ſingula ſtrictim attingam ſequenti capite.

De Monocerotis Groenlandici viribus experientia nos docuit eſſe inſignè Alexipharmacum, & in febribus malignis ſudoriferum potens.

*Collegii Hafnienſis Medici & Profeſſores* Anno Chriſti 1636. die 3. Octobr. apud *Ioan. Woldenbergium* Pharmacopœum, de advectis tum ex Groenlandia ejuſmodi cornibus ſeu dentibus balænæ, in columbis duabus & felium catulis experimentum fecerunt Hafniæ; exhibito Arſenico & ſublimato, non planè ſine ullo ſucceſſu, ex fida relatio-

latione Magni Hafnienſium Medici D. *Olai Wormii.*

Ex ejuſdem *Wormii* pluteis accepimus Auguſtanorum Medicorum ſententiam de hoc Unicornu, quam huc transferendam duxi ex ejuſdem Exercit. XVIII. Controv. Med. 2. hac verborum formula:

Ex longinquis regionibus ad nos hoc cornu nobis judicandum propoſitum eſt, numquid eſſet Monocerotis cornu. Nos diligenti adhibitâ conſideratione eorum omnium quæ ad deſcriptionem legitimi cornu Monocerotis requiruntur, nimirum, ut ſit ex toto ſolidum, ſine ullo nodo aut fiſſura anfractuoſum, & ſpiris minuſculis quaſi lineamentis, decenter convolutum, inodorum, colore non abſimile ebori vetuſto, hoc eſt, ita pallidum, ut ſubflavi quid habeat; judicamus veriſſimum hoc eſſe Monocerotis, ſeu Unicornu cornu, & ad quod exigi examinarique debeant omnia quæ ubique locorum ſunt, utpote ad inte-

grum

grum & ex omni parte, nulloque artificio, niſi ſola politura adulteratum, aut à genuina forma ac ſpecie in aliam verſum. Quin etiam viſum eſt nobis, ad experientiam rerum Magiſtram, tanquam Κειτήειον deſcendere, num viribus & facultate id præſtare poſſit, quod vero Monoceroti tribuitur. Cujus uſus adverſus venena, Alexipharmacum quiddam & præ aliis Bezoardicis omnibus, venena propulſandi poteſtatem ei ineſſe perhibetur. Dato igitur in præſentia noſtra Arſenico cani, jam moribundo infuſis hujus cornu ramentis revixit: Unde non dubitamus verum & legitimum eſſe Monocerotis cornu, utraque tamen extremitate mutilum, tam in baſi quam in apice, quemadmodum ſenſui apparet, cujus ramenta uti dictum cani poſt Arſenicum exhibita, à veneno eum immunem reddiderunt. Cui rei teſtes oculati fuere Medici Collegæ Auguſtani qui ſubſcripſere, quique arbitrantur, cùm res nobilis, rara ſit & pretioſa, non

non tam locorum omnium Medicorum judiciis, quàm quos talia inprimis decent, nobilium Magnificorum atque adeò Principum ulteriori experientiæ committenda, cum præſertim ea experientia firma ſit, quæ non in uno, non ſemel, ſed pluribus ſtabiliatur. Actum Auguſtæ Vindelicorum Anno Chriſti 1593. menſe Martio; præſentibus Medicis *Georgio Laubio*, *Adolpho Occone*, *Io. Uld. Romlero*, *Io. Paul. Zangmeiſtero*, & *Ioh. Georg. Sigbardo* Pharmacopœo primario.

Fruſtum tantùm hujus Unicornu ad hos Medicos pervenit, unde non mirum, quòd ſolidum dixerint, quippe cavitas in radice craſſa maximè apparet.

In Dyſenteria, febribus malignis, variolis & nimia hæmorrhagia uſum hujus cornu laudat *Hoechſtetterus* Decad. V. Obſerv. Caſ. 9. *Olaus Wormius* Exercit. XVIII. Controv. 2. in febre maligna Anno Chriſti 1652. Hafniæ graſſante Unicornu ex Groenlandia tùm allato uſos quoſdam fuiſſe novit, opti-

optimo cum ſucceſſu, convaleſcentibus ægris & febre profligatâ. Ipſeque *Wormius* ſcrupuli pondere quibuſdam ex ſua familia eodem morbo laborantibus exhibuit, ſudores elicuit copioſos cum levamine inſigni, quibus motus inter Alexiteria referendum duxit. Ex quo per Dn. *Mullerum* noſtrum ex Groenlandia Unicornu apud nos increbuit, copioſiuſque haberi cœpit, inter domeſtica familiariaque ſudorifera æſtimatum fuit, quo in febribus quibuſcunque, eryſipelate, aliiſque morbis ſudores provocantur. Unde in Pharmacopoliis noſtris proſtat crudum, raſpatum, Philoſophicè præparatum, ejuſdemque Magiſterium, ſpiritus, ſal volatile. Mediæ drachmæ pondere exhibemus in aqua quacunque pulverem ſubtilem. Graſſante Lugduni Batavorum 1655. peſtilentiâ *Albert. Kyperus* Medic. ibid. Profeſſor, qui fruſtum hujus dentis à me accepit, expertus eſt uſu hujus vel convaluiſſe illicò correptos, ſi principio exhibuiſſet, vel

mitio-

mitiora ſymptomata induxiſſe & fatum prolongaſſe, de quo Epiſtolæ 53. & 81. *Centuriæ* II. legendæ. Hydropicam Matronam Nobiliſſimam, nihil aliis proficientibus, vidi ſudore profluxiſſe hujus dentis, & curatam. Noſtri amuleti loco utuntur, cereviſiæ incoquunt, vel ſuſpendunt in febribus & variolis puerorum. Et in gelatinam coquunt pro cordiali inſigni. Pellendis quoque menſibus & fœtui promovendo adhibetur. Summa: princeps eſt medicamentum quo utimur Hafniæ.

---

## CAP. XXX.

*Unicornuum uſus in poculis apud varias gentes. De Aureo cornu dubitatio. Marmor Præneſtinum. Cornea buccina. Evocari quid Juris Conſultis. Marino de his reſpondetur.*

CORnea pocula bona in ſomniis judicat *Artemidorus* lib. 1. Oneir. cap. 68: διὰ τὴν ἀρχαιότητα καὶ διὰ τὸ ἄθραυστον. *Tum ob antiquitatem, tum quòd infra-*

*infracta ſint*. Ita enim *Ianus Cornarius* reddiderat, à *Nic. Rigaltio* alioquin non uno nomine ſuſpectus. Ego ἀθραυστον non tam de ruptura interpretor poculorum, quàm de naturali venenis reſiſtendi privilegio, quod ubique oſtentat. Sed antiquitatem meritò jactat ab Indicis Regibus apud *Ælianum* & *Philetem* probatam. Græciæ quoque Heroës noverunt apud *Interpretem* Homeri Iliad. θ. ad hæc verba:

Οἶνόν τ' ἐγκεράσασθαι πιεῖν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.

Quæ ita exponit: ἐγκεράσασθαι εἰς κέρας. πρὸ τοῦ γὰρ εὑρεθῆναι τὴν τῶν ποτηρίων χρῆσιν εἰς κέρας ἔπινον. *Ante inventum ſcilicet poculorum uſum ex cornu bibebant.* Verùm cornua ad pocula maximè Septentrionis incolæ vocarunt. Teſtis *Plinius* lib. II. cap. 37: *Urorum cornibus barbari Septentrionales potant, urnaſque binas capitis unius cornua implent*. Cujus apud *Saxonem Grammaticum* noſtratem lib. 7. Hiſtor. Danicæ exſtat exemplum. De ſuis fatetur *Ol. Magnus*

lib.

lib. 13. cap. 35. *Aliud genus vaſorum deauratis labris, & pedibus, è gryphorum ungulis bonam liquoris quantitatem tenentibus, fabricatum.* Clarius cap. 38. vaſa hæc ad cornua reſtrinxit: *Cornua vaſa ſupraposita, Finlandenſium Aquilonarium opificia ſunt.* Quæ cornua in ſequentis capitis figura per bubula exprimit.

Videretur & primâ fronte Aureum nuper in Cimbria inventum cornu, veteribus Danorum Regibus poculi loco fuiſſe, niſi verus tubæ uſus à *Cl. Wormio* firmis rationum momentis ſtabilitus contrarium perſuaderet. Ancipitem me quidem fecerat *Plutarchus* Symp. 8. Quæſt. 3. ut de tuba bellica dubitarem ob ſonum auri inſuetum. Ita enim ille: *De ipſis corporibus aurum, & lapis ob denſitatem, exiles ſonos & obſcuros edunt, voceſque in iis celeriter exſtinguuntur.* Sed ipſum me penitiùs auctoris mentem & veritatem introſpiciens in viam reduxi. Non enim *Plutarcho* de Metallo in certam formam laminamque flexo, erat ſermo, ſed rudi & impolito. Au-

rum

rum quippe ad debitam temperamenti formam redactum, immiſſam vocem multiplicato flexu acutiorem reddit vel *Iuvenale* judice:

*Si trulla inverſa ſonitum dedit aurea fundo.*

Ob ſolidiorem ſubſtantiæ conditionem, quâ æris ſoliditatem antevertit, alioquin ad reddendos ſonos aptiſſimi. Unde vox ærea apud *Homerum* pro intenſa & diſtincta, pectuſque æreum in ſigno Nabochodonoſoris Græcorum Imperii incrementa ſignaviſſe prodidit *Theodoretus*, per orbem, litterarum beneficio, propaganda. Idem de Lapide ſit judicium, quem ſingulari anfractu excavatum acutiſſimos ſonos referre quotidiano in montoſis locis itinere experimur.

Eandem ex cornibus bubulis bibendi conſuetudinem etiam apud Britannos invaluiſſe teſtimoniis *Saxonis* lib. 3. & 5. *Cambdeni* in Hiſtor. Anglica, & *Malmesburienſis* lib. 2. cap. 2. docuit Lib. 1. Faſt. Danic. cap. 18. magnus Do-

Doctor noſter *Olaus Wormius*. Quo delectatos quoque Thraces Xenophon confirmat lib. 7. Exped. Cyri: *Mutuò ſe primùm ſalutarunt, deinde ſecundùm Thracicam legem cornua vini propinarunt. Idemque* de Paphlagonibus lib. 6. refert: *Cùm in grabbatis inter cœnandum diſcumberent ac biberent è poculis è Cornu factis.* Tranſiit demum ad Romanos barbarorum ſimias & novorum rituum amatores. De quo querela exſtat *Ambroſii* lib. de Elia & Jejunio: *Per cornu etiam fluentia in fauces hominum vina decurrunt, & ſi quis reſpiraverit, commiſſum flagitium, ſoluta acies, loco motus habetur.* Per Cornu etiam nunc hoſpitalitatis liquor advenientibus in Collegiis quibuſdam Angliæ veteri more ſervato propinatur.

Quo referenda hæc *P. Mauritii de Gregorio* Cameracenſis Neapolitani in Abecedario Caſ. conſcientiæ ex bullis Pontificiis Zoophyta: *Pocula cornea ubi bibebant antiqui in magna reverentia, magis quàm calice, ad noſtram confuſionem*

*dicit*


TRICLINIVM PATAVINVM.
in ædibus Rhamnuſianis

*dicit Canon, quòd tunc calices lignei & ſacerdotes aurei; modò è contra.*

Eum ritum ad oculum monſtrat conviva cum cornu ori admoto in Romanorum triclinio, quod olim ex ædibus Rhamnuſianis Patavii in Commentario ſuo de Arte Gymnaſtica depinxit *Hieronymus Mercurialis*, nos verò in Palatium Ateſtenſe Illuſtriſſimi Senatoris Veneti *Georgii Contareni* delatum non ita pridem ipſi vidimus. Illuſtriora Romæ ejus exſtant documenta pluribus marmoribus ſignata, præſertim in Bacchanalibus Veterum in palatio ſplendidiſſimo Cardinalis *Mazarini* olim à *Bentivoglio* in monte Quirinali exſtructo eleganter expreſſis. Cui ſimile aliud marmor apud lapicidam templi S. Andreæ Vallenſis, in quibus cornu Bacchus eminet. Rem clariùs ob oculos ponit opus illud antiquitatis venerandæ teſſulatum Præneſte, cujus mentio apud *Philandrum* in lib. 4. Vitruvii, nunc *Thadæi Barberini*, quod in veterum accubitus, cornu ſingularis



laris artificii, & navis, quam luſoriam credo, argumentum, procurante Equite *Caſſiano à Puteo*, maximo literatorum patrono, hic ſpectatoribus exhibui.

Idemne cenſuit *Martialis* Lib. 12. Ep. 32. de Vacera.

*Et cum lucerna, corneoque cratere*
*Matella curto rupta latere mejebat.*

Unde aliquando matulas veterum ex cornu factas conjectabam. Quàm rectè Critici videant. A quo more non abſunt nautæ Siculi, qui cornu bubulum, quod *l'oſſo* vocant, pro matula ſervant. *Idem* alibi lib. 14. Ep. 52. de Gutture corneo:

*Geſtavit modò fronte me juvencus.*
*Verum Rhinocerota me putabis.*

Quippe bibituri elevato ad nares cornu poculo Rhinocerotes quadam imitatione exprimunt. Nec ejus moris ab urbe, ut fit, migrantis ignari fuerunt coloni, & agreſtes, apud quos de Satyris canit Pan *Calphurnii* avena Eclog. 10.

*Tum Satyri, laſciva cohors, ſibi pocula quiſque*
*Obvia corripuit. Quod ſors dedit, hoc capit uſus.*
*Cantharon hic retinet. Cornu bibit alter adunco,*
*Concavat ille manus, palmaſque in pocula vertit.*

Ad quem locum, *Nemeſiano* contra fidem *MS. noſtri* adſcriptum, notavit *Robertus Titius*, per cornu buccinam exponendam, quia ſorte datum affirmat vates, illud ſcilicet quod familiare Satyris erat. Hocne buccina? equidem ignoro, nec veſtigia auctorum ulla video. In hortis Mediceis Romæ Montis Trinitatis exſtat inter alia Panis ſtatua corneam tubam evidenter inflantis. Et in Muſæo *Sertorii Urſati* Patavii Satyrus ære fictus ſedet, quem à dextris Cupido ambit incurvum cornu ori applicans, à ſiniſtris verò ſeu Venus ſeu Ceres repletam frugibus ſportam offerens; modò ejus quam monſtrat ſit antiquitatis. De Cæliæ venatione *Hier.*

*Angerianus* Neapolitanus Poëta non inſulſus ita in Carminibus modulatur:

*Dum cuſtodit agros canis, & loca pervia cingunt*
*Fila plagæ, & flatu cornea plena ſonant.*

De buccina paſtorum ad convocandum pecus *Columella* lib. 4. R. R: *Ad ſonum buccinæ pecus ſepta repetere conſueſcat;* quam cornu fuiſſe ex hoc loco *Titius* videtur divinaſſe. Unde cornibus buccinare apud *Dionyſium Halicarnaſſeum* lib. 2. ubi de differentia Patriciorum: *Quotiens patricii convocarentur à Regibus, præcones quemque ſuo ac paterno appellabant nomine: plebejos verò miniſtri quidam cornibus bubulis confertim buccinantes in concionem conciebant.* Elegantiori vocis notione *Evocari* populus in Jure dicitur *ff. Lib.* 1. *Tit.* 15. *leg.* 1. de Incendiis: *Erat autem familia publica circa portas & muros diſpoſita, quæ inde ſi opus eſſet evocabatur.* Quod voce & cornu factum explicat *Gloſſa Accurſii* marginalis, quibus illa familia vocabat homines ad extin-

tin-

tinguendum ignem. *Livius* lib. 1. *Patricios præcones ſuo & paterno nomine: plebejos verò miniſtri cornubus tubulis conciebant.* Ex quo lucem *Varro* accipit, qui l. 4. de L. L. ait: *Claſſicos à claſſe qui item cornu canunt, ut tum cùm claſſes comitiis ad comitatum vocant.* Nec mirum in buccinis incultis cornu prævaluiſſe, quum tibiæ Phrygiorum idem ipſum non abhorruerint paſtoralibus fiſtulis cultiores. De quibus intelligendus *Ovidius* Metam. lib. 11.

— *inflato Berecynthia tibia cornu.*

*Horatius* quoque Carmin. Lib. 1. Ode 18.

— — *cum Berecynthio*
*Cornu tympana.*

Et *Ovidius* Lib. 3. Metam.

—— —— —— *ærane tantùm?*
*Æra repulſa valent? & adunco tibia cornu.*

Idque ad ſoni gravitatem augendam inſtitutum, ut ex *Athenæo* de Phrygio rhythmo, colligo: Βαρὺς γὰρ οὗτος παρ' ὃ καὶ τὸ κέρας αὐτῷ προσσάπτουσι: *Gravis enim hic*

*hic rhythmus, unde & cornu illi adaptant.* Quanquam exinde cornu partem tibiæ, non totam fuiſſe, intelligam, ſecus ac *Polluci* placuit. Quod ex *Heſychio* quoque animadvertit Magnus *Salmaſius* ad cap. 5. *Solini*: Ἔχει γὰρ ὁ ἀριστερὸς προσκείμενον κέρας, *habet enim ſiniſtra tibia adpoſitum cornu*. De hoc cornu ſiniſtræ tibiæ, ut & aliis ad hoc forum ſpectantibus, nos plura dabimus, quamprimùm Tractatum noſtrum de *Tibiis Veterum* ex omni Antiquitate conſcriptum, ad publicam lucem adornaverimus; cujus ſpem publico brevi facimus. Interim juvabit hanc in rei illuſtrationem ex Monumentis Veterum à *Boiſſardo* collectis addidiſſe figuram. Quidquid horum ſit, buccina ex præſenti neceſſitate ad muſtum hauriendum abuti poterant laſcivi Satyri, tametſi buccinam familiarem non dederit ſors, ſed cornu forſan bubulum in ſylvis negligentiùs à paſtoribus benè potis abjectum. Huic poculorum uſui minùs favens *Andreas Marinus*, ex nudo labiorum tactu contra



tra venena virtutem percipi nullam ratiocinio concludit, quia non fit qualitatibus manifeſtis, nec occultis ſeu formâ ſpecificâ. Non hâc, quia operatur caloris innati beneficio, qui nec calefacit nec coquit, is niſi rem ſibi creditam amplectatur aliquo temporis intervallo. Neque putat venenum contraria poculi qualitate inficì poſſe, ſine caloris interventu, actionem inter venenum & poculum excitantis. Cui dubitationi facili reſponſione occurritur, ſi dicamus exiguo & momentaneo caloris acceſſu indigere venenum ob ſubtiliorem naturæ vim, quâ ſine mora cor petit ſimul & inficit, ut viperarum ſcorpionumq́ue morſibus experimur, quanquam nec in poculis mero Cerereq́ue repletis caloris agentis virtus deſit. Id ſi non placeat, ad Amuleta dicta confugiemus, quorum ſolo corporis tactu excitatur contra affectiones noxias robur. At hujus ratio nobis pro reſponſo erit.

## CAP. XXXI.

*Annuli cornei. Ungulus, & Ungula.*

EOdem ſecuritatis ſanitatiſque fine inter ornamenta manus cornu numerabat ſæculum antiquum ſine pompa ſuperbum. Illud ornamenti genus ex *Pacuvio* apud *Feſtum* eruo : *Suſpenſum in lævo brachio oſtendo ungulum.* Et: *Repugnanti ego porrò hunc vi detraxi ungulum.* Ungulum autem Oſcorum linguâ anulum notare teſtis eſt *Feſtus.* Quo collineat & *Plinius* lib. 33. cap. 1. de anulis : *Græci à digitis appellavere, apud nos priſci ungulum vocabant, poſtea & Græci & noſtri ſymbolum.* *Iſidorus* quoque lib. 19. Orig. cap. 32 : *Inter genera anulorum ſunt ungulus, Samothracius, tinius.* Qui rationem appellationis inquirit verbis ſequentibus : *Ungulus eſt gemmatus, vocatuſque hoc nomine, quia ſicut ungula carni : ita gemma anuli auro accingitur.* Arbitror ego, niſi fallit conjectura, ungulum dictum digiti illud orna-

ornamentum, vel quòd rotundam cornuum figuram æmuletur, vel quòd rudi adhuc ſæculo ungulas ſeu cornua anulorum vice induerint. Ungulam enim per Cornu expreſſerunt veteres. *Veget.* lib. 2. Veter. cap. 56. de Ungula: *Donec indureſcat in cornu.* Et cap. 57. *Alternis diebus medicamentum renovabis donec cornu ungulam faciat.* Ubi malè utroque loco *MS. Sambuci* legit Corium, quum pro ungulæ adapertura & exungulatione jumenti medicinæ præſcriptæ, non corio, quod hic fruſtra indureſcit. De ungulis Boum lib. 3. cap. 4: *Pice liquidâ cum oleo vel axungia cornua ejus unguntur.* Expreſſiùs *M. Cato* de R R. cap. 72. *Boves ne pedes ſubterant, priuſquam in viam quoquam ages, pice liquidâ cornua infima unguito.* Confirmat de unguibus conjecturam *Fr. Connanus* lib. 9. Comm. Jur. Civil. cap. 2: *Unguli*, id eſt, *annuli, quia extremis veluti unguibus aliquando geſtantur.* Ungulam *Germanis* quoque cornu placet appellare, unguentumque Veteri-

nario-

nariorum *Horn-Salbe* vocatur. *Calphurnius* Eclog. 6. de Cervo.

*Et tornata brevi ſubſtringitur ungula cornu:*
*Ungula, quæ viridi ſic exultavit in arvo.*

Quia eadem, teſte *Ariſtotele*, utriuſque materia eademq́ue virtus venenis reſiſtendi, ut in ungula Alcis docet Magiſtra rerum experientia, qualia nempe in digitorum apicibus cordi ratione venarum vicinis, ex poſitione antiqua, deſiderarunt meticuloſi. Nec injuriâ, quum in aliis anulis vitæ neciſq́ue fuerit arbitrium. *Plinius* lib. 33. cap. 1. *Alii ſub gemmis venena cludunt, ſicut Demoſthenes, annuloſq́ue mortis gratiâ habent.* Quo fine poſtea aurum induxerunt, gemmas cordi peculiari virtute accommodatas, & ipſum annularem digitum ungebant, à qua unctione ungulum dictum Vir excellens *Fortunius Licetus* lib. de Ann. ingenioſè putat: quanquam recentiorem unctionem credam antiquâ unguli appellatione. Ab hac ſuſpicione veneni alieni Septentrionales nau-

tæ ob neceſſitatem potiùs anulis corneis vela antennis ſuſpendunt, quod ante me in erudito de Acia ſcripto Doctiſſimus *Io. Rhodius* obſervavit.

---

## CAP. XXXII.

*Corneæ Cucurbitulæ probantur. Infundibulum corneum. Rhytii forma. Cornu in ulceribus & vulneribus uſus. Clyſteres cornei. Pillula cornea, Syringa, Turunda.*

CORnuum dignitatem pari utilitate junctam non ignorarunt Medici veteres quos inde inſtrumentorum ſuorum apparatum conſtituiſſe accepimus. De Cucurbitulis corneis *Oribaſius* lib. 7. Med. Collect. cap. 16. *Differentiæ cucurbitularum quæ ſumuntur à materia, tres ſunt, vitreæ, corneæ, æneæ.* *Albucaſis* lib. 3. Chir. cap. 2. *Ventoſæ fiunt ex cornibus, & ex ære & ex vitro.* Quarum in uſu diverſitas, tam ratione partis cui applicantur, quàm modi applicationis. Corneæ capiti inprimis conveniebant, narrante eodem *Sardiano*:

Cor-

*Corneæ item in capite, ubi æneas avulſu diſficiles fore cognoſceremus: itemque in timidis, qui à flamma deterrentur.* Plerumque eædem ſine igne appoſitæ corpori, ut auctoritate graviſſimorum Medicorum didici, in primis *Galeni* lib. 13. Method. cap. 6. ubi de iis agit quæ venenum attrahunt: *Quæ citra calefactionem vehementem trahunt, veluti & cucurbitulæ, & cava cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum vice utuntur.* Conſentit *Galeno Oribaſius* lib. 7. Med. Collect. cap. 16. *Attractio cornearum citra ignem fit: ſiquidem in extremo perforata ſunt, quumque adhibeantur abſterſæ vehementer per foramen trahunt, ſtatim verò foramen digito aut cerâ clauditur.* Circa hunc apponendi modum vix diſcrepat *Cornelius Celſus* lib. 2. cap. 11. *Cornea alterâ parte æquè patens, alterâ foramen habet exiguum. In æneam linamentum ardens conjicitur, ac ſic os ejus corpori aptatur imprimiturque donec inhæreat. Cornea per ſe corpori imponitur, deinde ubi eâ parte, quâ exiguum foramen eſt, ore ſpiritus adductus*

*ductus eſt, ſuperque cera cavum id clauſum eſt, æquè inhæreſcit.* Quod ſi altera foraminis pars artificio ſit clauſa ut noſtras cucurbitulas imitetur ampliori ventre, difficile videtur eo ſpiritu cuti impingere, niſi ſummâ accedente aëris inflati celeritate. Artificioſam tamen ſtructuram invenit *Heron Alexandrinus* libro περὶ πνευμάτων Bibliothecæ Ducis Urbini Problemat. 56. ex editione *Federici Commandini* quâ auctior multò eſt *meus Codex MS.* quem eleganti manu exaratum ex Bibliotheca Illuſtriſſimi *Antonii Grimani* Nobilium Venetorum genere & virtute facilè primi, Patroni magni, poſſideo. Omne Cucurbitulæ novæ momentum in Diaphragmate ſeu transverſo ſepimento, & duobus ſmeriſmatibus in fundo uno, altero ad latus, totidem fiſtulis circumjectis conſiſtit, quæ exigua utrimque foraminula habeant, per quæ oris halitu extractus aër ex fundo ampliori, neceſſariò alterum ultra Diaphragma, fugâ vacui revocat, in cujus deinde locum

cum ſuccedit tum caro, tum ei vicina materia. Cucurbitulæ Corneæ ut olim Græcis, notante *Guil. Stuckio* lib. 3. Antiquit. Convival. cap. 12. ſic hodie Arabibus ſunt in uſu. De quo *Minadous* in Diſſertationibus. Indis pariter, teſte *Nicol. Tulpio* lib. 3. Obſervat. Medic. cap. 49. ad quos forſan ab Arabibus vicinis tranſiit. Noſtro verò ævo Cucurbitarum cornearum uſus deſiit, niſi apud *Helvetos*; ſolo nomine apud *Italos* ſervato, qui cucurbitam, *un Cornetto* adhuc amant appellare. Succeſſerunt vitreæ, partim quòd incaleſcant citiùs, ſi igne debeant admoveri, vel admiſſum aërem fideliùs ſervent, ſi inflentur, partim quòd tranſparentes viſum admittant elevatæ cutis, vel ſanguinis effuſi judicem. Nonnulli fictiles præferunt, alii ligneas, inter quos *Aguilera Hiſpanus*. Soli Ægyptii antiqui moris ſervantiſſimi cum vitreis corneum genus adhuc uſurpant eâdem oris attractione cuti affixum. Eligunt verò cornua taurorum parva perpolita & per-

& perforata, quibus utraque extremitas meatu pervio conſtat, quod vidit & deſcripſit *Proſper Alpinus* lib. 2. de Medicina Ægyptiorum cap. 13. Cornu in uſum ſuum pertrahebant quoque Veterinarii, pro inſtrumento quo velut cochleari in fauces Equorum liquores infunderent, variis locis à *Vegetio* pertractatum. Nam lib. 2. Mulomed. cap. 45. *Porri* (ſucci) *tres cyathos olei heminam miſcebis, & per cornu faucibus infundes.* De menſura cornea cogitatio nulla, quæ iſtis tribus cyathis & hemina major eſt minimùm novem cyathis, ut minorem liquorum copiam majori menſurâ expendi præter rationem ſit. Infundibili ejusdem meminiſſe debet lib 3. cap. 47. ubi de ſanguine bubulo moderatè per cornu faucibus infundendo, ſcribit, quod per corneam curvitatem commodiùs fiet à manus arbitrio temperatam. Moderatè autem infundi non poſſet, ſi ad menſuram libræ injiceretur. Significantiori voce infuſionis modum exprimit lib. 4. c. 8. *Hæc omnia*

*ita*

*ita temperabis, ut per cornua defluant, &
ſextarios ſingulos jejunis animalibus per tri-
duum dabis.* Cap. 9. verò, ut defluant
faciliùs, ſpiſſiora corrigit: *Si liquor ſpiſ-
ſior fuerit, tantùm paſſi addis, ut per cornu
facilè poſſit exire, diebus plurimis ex eo per
os ſingulos ſextarios tuſſientibus dabis.* Et
eodem ſenſu lib. 3. cap. 70. ſcripſerat:
*Addito jure in quo fœnugræci decoxeris te-
pefactum per cornu plus quàm ſingulas hemi-
nas diebus ſingulis faucibus digeri: quòd ſi
ſpiſſiorem videris potionem, tantum paſſi ad-
dis, ut poſſit per cornu exire.* In quorum
nullo loco pro menſura librali accipi
poſſe cornu, vel inde dubito, quòd
ſextarius libræ menſuram exæquarit,
vel parum exceſſerit, heminaque ſeu
Cotyla, ſive, ut Attici vocarunt, Tri-
blyum minus liquoris cœperit quàm
libra ſeu ſextarius, qui duas heminas
implebat Romanis pariter & Atticis,
quorum menſurandi rationem ſeque-
bantur Medici. Fruſtrà enim quod mi-
nus per ampliora digeſſiſſet faucibus
Veterinarius. *Alibi* vice cornuum vas
li-

ligneum adhibuit aqua faucibus infundenda, ut lib. 3. cap. 3. vel 1. teſtatur. Nonnunquam cap. ſeq. cannam vel perforatam fiſtulam inſeruit, perque eam calidum oleum digeſſit. Magis verò ex neceſſitate quàm decore Vir ille ſine ano & pene, excrementa ciborum ſtatis vicibus ex ore per cornu, quod ſecum geſtabat, evomuit, ut in *Hiſtoriis noſtris Anatomicis* Rarioribus, notavimus. *Iacobus Hollerius* cap. 3. Comp. Med. per cornu ex auribus extrahit ſaniem. Et ex eodem cornu fabricatum infundibulum quo naribus ad capitis expurgationem inſufflabant liquores, perhibet *Scribonius Largus* Compoſit. 7. *Per nares ergò purgatur iis rebus infuſis per cornu, quod rhinenchites vocatur.* Qui modus etiam nunc Mulomedicis Neapoli placet. Ejuſdemque meminit Compoſitione 8. ſequente: *Hæc in unum mixta, naribus per cornu infunduntur, vel pinnâ longiore nares interiùs perfricantur.* Et P. *Vegetius* lib. 2. Vet. cap 37. *Erucæ unciam unam cum*

*lacte*

*late conteres & per cornu naribus infundes.* Ad ſanguinis ſcilicet profluvium. Liquoribus enim infundendis aptum erat cornu ob curvitatem, de quibus accipiendus omnino *Scribonius*, quum ſuccos hederæ, betæ, cyclaminiſque, & mel, acetum, oleum vetus, aliaque liquida per cornu ſolum infuderit. Sicciora, ut pulveres, non per cornu, ſed rectum canalem exſufflabat *Theodorus Priſcianus* Medicus Antiquus lib. I. cap. II. Quem canalem paucis interpoſitis per cannulam exponit. Pennam vocat *Plinius Medicus* lib. I. de Re Medica cap. 25. Et fiſtulam *Vegetius Mulomedicus* lib. 2. Veter. cap. 35. Nec non *Plinius* idem *Valerianus* cap. 26. A quâ forſan aliena non fuit fiſtula coquorum, quam Laganum percutiebant, hoc eſt, movebant apud *Apicium* lib. 3. Rei cul. Aliud vaſorum genus narratur cornui perſimile, ῥυτὸν dictum, & κέρας, inter potoria *Athenæo* lib. II. laudatum, quod ad machinamentorum Medicorum ſeriem

riem per jocum trahit *Martialis* lib. 2. Epigr. 35.

*Cùm ſint crura tibi ſimulant quæ cornua Lunæ,*
*In rhytio poteras, Marce, lavare pedes.*

Exteriùs enim inflexa crura habebat cornibus ſimilia, quæ ſimilis formæ balneum exigebant in Rhytio planè accommodatum. Nam cornu forma in veterum monumentis Rhytium effigiatum repperit Cl. *Salmaſius* Comm. Solini, cujus iconem & nos hic exprimi curavimus. Alii apud *Martialem*, *in rhidio*, malunt legere, ut *Calderinus* in Scholiis antiquis, qui *rhidium* explicat de vaſe dimenſionis Geometrico, ab anguſto fundo in oris latitudinem exeunte, parùm ab uſu noſtro diverſo. Alteram lectionem amplectitur *Hadrianus Iunius* poſt eundem *Calderinum*; arbitraturque in rhio ſcripſiſſe Auctorem, ut alluderet ad promontorium Achivorum in falcis figuram interiùs curvatum: quem *rhium* vocabant, Dre-



Drepanum ſeu falcem lavandis pedibus idoneum. Cæterùm quidquid horum ſit, rectè pro Phœbo Marcus ſucceſſit in Epigrammate: quid enim Phœbi crura ad cornua Lunæ? Ad abſceſſus faucium gulæve diſrumpendos Corneum radiolum induxit *Abenſina* ob medium temperamentum inter neceſſariam duritiem & flexibilitatem. Ad inſtillandum ulceribus oleum *Galeno* probatur lib. 2. de Comp. gener. c. 5. *Machærionis emplaſtrum liquatum ex copioſiori oleo per foratum cornu infundendum eſt.* Quo loco non per cornu antiquos infudiſſe id quod requiritur, arbitratur *M. A. Severinus*; ſed corneæ fiſtulæ colligatum utriculum, qui utilem humorem continebat, compreſſiſſe, ſicque medicamentum immiſiſſe. Quanquam *Galeni* textum ambiguum de priori infuſionis modo, ut ſimpliciori, malim interpretari. Nec inutile in vulneribus cornu. *Andreas Alcaſar* lib. 3. de Vuln. Thor. cap. ult. & *Io. Fragoſus* in Gloſſ. de Vuln. ſcripto reliquere, percuſſum

quem-

quempiam in thorace & transfoſſum, ubi die undecimo nihil expurgaſſet ſaniei, medici præcepto fiſtulam Muſicam corneam vehementiori ſpiritu perflaſſe: quâ unâ re vim puris è vulnere exiliiſſe, quod repetitum ſingulari levamento fuerit. Pro clyſteribus injiciendis per inteſtinum rectum cornu laudat *Publius Vegetius* in Mulomedicina lib. 3. cap. 4. ſeu 1. de ſanguiſugis: *Quod ſi ſtomachum vel inteſtinum tenuerit, calido aceto per cornu infuſo, necatur.* Licet in *MS. Sambuci* deſint hæc cum præcedentibus, alibi tamen idem inculcat cap. 16. ubi clyſteris anteceſſit mentio: *Digeres ſtercoris ovis libram, & in aceti & mulſæ ſextario per cornu dabis.* Quod quidem cornu pro menſura hic non capiendum quum ſextarius addatur. Huc aliūm locum volentem traho ex cap. 38. ejuſdem libri, de Bulimo: *Quod ſi permanſerit Bulimus, ſimile* (vel ut *Rhodius* noſter corrigit, ſimilæ) *heminam cum ſextario vini infundes, & per cornu digeres.* Opponit enim

huic

huic per cornu, ſtatim, per os digeſtionem. In rectum inteſtinum, quod fiſtulam habet, corneam glandem intrudit magnus *Hippocrates*, idque interprete *Vido Vidio* ut inflammatio, quæ ab acerrimis medicamentis imminet, declinetur. Quo forſan conſilio *M. A. Severinus* Neapolitanorum Chiron redivivus fonticulis excavatis primam pilulam corneam imponere conſuevit. Vel dolori mitigando. Cornu enim frigidius eſt & ſiccius, ut acres humores exſiccet partim & abſumat, partim temperet. Ad hæc corneâ fiſtulâ in veſicam immiſſâ urinæ impedimentum aliquando ſuſtuliſſe ſe, fidem facit *Hieronymus Fabricius* ab Aquapendente in Operat. Chirurg. Nec minori ſucceſſu *Durantes Scacchius* lib. de ſubſid. Med. cap. 10. Cornea turunda emplaſtro, Omphalocele impoſito, adjecta, vinculum adſtrinxit.

CAP.

## CAP. XXXIII.

*Cornu liquidorum menſura. Quantum capiat ex Galeno deciditur. Lineæ Unciales. Ponderum diverſitas.*

INſignis autem cornuum uſus in menſuris antiquorum Medicorum eluxit, quæ per cornua fiebant. Erantque ferè tantùm liquidorum menſuræ. De aridis enim ſolidiſque nulla apud auctores memoria, quorum pondus proprium. Olea per cornua utplurimùm dimenſa, mox ejuſdem generis liquores. *Vegetius* lib. 3. Veterinariæ Artis cap. 1. vel 4. *Aqua hyſſopi, in qua decoctum infuſum, decoctumque, etiam propinatur ad cornu*, hoc eſt, ad corneam menſuram. *Cap.* 12. vel 15. de mullis pini: *Vini ſextario reſolutos dabis ad cornu. Cap.* 38. *Si ilion fecerit, per cornu digeres & reparabitur.* Digerendum autem erat vinum oleumque tepefactum. *Cap.* 42. *Omnia diligenter trita cum vino auſtero quatuor menſuras adjicies, & per dies ſingulos*

*gulos dabis ad cornu.* Cap. 65. ad Tuſſim: *Farinæ ſabæ frixæ ſextarios ij. infundes in paſſi ſextariis iij. & in mortario diutiſſimè conteres, piperis triti grana triginta, ſebi hircini libras iij. pariter admiſces & omnia tuſa & cribrata per os ad cornu per triduum dabis.* Diſertiùs menſuram intelligimus ex *Cap. 66. Facies potionem, ex qua Cornu dabis animalibus diebus ſeptem.* Quantum autem capacitate ſua exceperit adeò decantatum cornu, operæ pretium erit inquirere. *Horatius* librarum duarum menſuram ſtatuit lib. 2. Satyr. 2.

*Ac niſi mutatum, parcit defundere vinum: &*
*Cujus odorem olei nequeas perferre (licebit*
*Ille repotia, natales alioſque dierum*
*Feſtos albatus celebret) cornu ipſe bilibri*
*Caulibus inſtillat, veteris non parcus aceti.*

Non tamen ea vulgata erat menſura, ſed ſordidi Avieni, quem Satyrico ſtilo per-

perſtringens, notat in rancidi olei largitione adeò liberalem fuiſſe, ut menſurâ largiori fictâ etiam feſtis Nataliciis emetiretur in acetario oleum amicis, vetuſque acetum. Interpres vetus *Acron* per ſextarios cornua hæc explicat: *Sunt enim in venalibus cornua, quæ olei habent quantitatem, ſextarii menſura.* Quod auctoritate vetuſtiorum caret; caperet enim cornu Uncias menſurales viginti, quanquam errore communi *Acronem* ſextario 12. Uncias pro 12. Cyathis aſſignaſſe putem, ut fecerant *Calderinus* & *Beroaldus*, adeóque à Libra non aberraſſe longiùs. Judicem igitur magis in menſuris exercitatum prenſemus *Galenum*, cui cornu libram capit menſurâ, non pondere. Quam rem rotundis verbis lib. 1. De Comp. Med. per genera cap. 13. ediſſerit: *Nuncupatur à Romanis æquivocè ponderalis libra* (λιτραῖος σαθμὸς) *corporum ſolidorum, & menſuralis libra liquidorum. Quæ ut multum totâ urbe ex materia cornea conſtat.* Libra autem Uncias duodecim æqua-

 bat,

bat, quas juſtis lineis in menſura illa cornea diſtinguebant, ut exponit *Galenus* idem ejuſdem argumenti Libro Tertio: *Eſt autem apud Romanos menſura, quâ oleum metiuntur, interſecta lineis quibuſdam, quæ totam in duodecim partes dividunt: atque integra illa menſura libra ab illis dicitur, duodecima verò ejus pars Uncia.* Et libro primo cap. 17. *Hoc pharmacum olei modicum habet, ceu ad Metallicorum proportionem, ſi quis heminam ſtatuat valere unciis novem Romanis, quæ in cornibus conſuetis libralibus deſcriptæ ſunt.* Lineæ iſtæ Unciales in exteriori lamina cornea exſculptæ, non interiori, ut alibi tuberculis Metallicis in noſtris menſuris fieri aſſolet, quia, notante *G. Agricola* lib. 1. in cornibus non facilè intrinſecus notari potuerint lineæ, forſan, ut conjicio, ob cornuum anguſtiam vel quòd lineis profundis excederet debita menſura. At quamvis ad libræ menſuram exegerint cornu, libram tamen pondere minimè adæquaſſe oleo repletum vas, propriâ experientiâ obſerva-

ſervavit *Galenus* lib. 6. de Med. Comp. cap. 8. *Ego ſanè olei libram Romæ vocatam, quam per diſſecta cornua metiuntur, ponderavi, diſcere cupiens quantum gravitatis pondus contineret: inveni duodecim olei menſurales decem unciis ponderum æquales.* Ad quod menſuræ ponderiſque diſcrimen digitum intendit lib. 5. cap. 6. *Heras centum octaginta denarios poſuit, in pondus non menſuram oleum reducens, tanquam hemina denarios ſexaginta pendente.* Nam Attica novem Italicas uncias conficit; pendent enim novem Italicæ unciæ, quas in cornibus inſectis metiuntur ſeptem uncias ponderales & ſemiſſem, quæ ſexaginta denarii fiunt. Nec mirum diverſum menſurâ & pondere eſſe oleum majus ampliuſque ſpatium minori gravitate complectens ob inſitam aëreæ ſubſtantiæ levitatem. Unde ingenioſâ conjecturâ *Petrus Ciacconius* lib. de Menſuris Cornu menſuram principio Libram dictam ſuſpicatur, quòd vino plena libram penderet, atque ejus duodecima

pars Uncia eadem ratione pondus olei excederet.

---

## CAP. XXXIV.

*Cornea vaſa pro medicamentis. Fritilli cornei & tela. Cornu in hoſpitiis. Amalthea cornu. Cornu Cereale, & unguentarium. Χρυσοκέρας. An Cornu in tabernaculis?*

EXtra menſurandi ordinem excipiendis liquoribus deſtinabatur cornu, non Medicis ſolùm, ſed popinis ſacerdotibuſque. De remediis Stomachicis præcipit *Galenus* lib. 8. cap. 2. de Comp. Med. per Loc. in corneo vaſe reponenda eſſe. In cornua quoque balſamicum liquorem collectum tradit *Plinius* l. 12. c. 15. *Sed tenuis guttæ plorantu, lanis parva colligitur in cornua.* Ea nomine κόγχης veniunt *Theophraſto*, & *Plinio* dicuntur alibi conchæ, quæ quina cochlearia implent myſtra duo, chemas totidem cum ſemiſſe, ſi concham minorem ſumas; major enim, teſte *Cleopatra* inter libros *Galeni*, eandem ſervat menſuram quam Oxybaphon ſeu Ace-

Acetarium, quod conchas tres minores capit, cochlearia 15. ſeu ſeſquicyathum. Ex cornu porrò ludi conſtabant. *Scholiaſtes* enim *Iuvenalis* ad Satyr. 14. *Fritillus pyxis cornea.* Quod clarius *Alius*: *Apud Antiquos in cornu mittebant teſſeras, moventeſque fundebant.* Cujus vicem apud nonnullos ævi noſtri implent ligneæ pyxides, in quibus aleæ ſors vertitur. Tela cornea apud Ægyptios deſcribit *P. Ægineta* lib. 6. cap. 88. *Ipſa vero tela aut ferrea ſunt, aut ærea, aut ſtannea, aut plumbea, aut cornea, aut vitrea, aut oſſea, &c.* Tot enim differentiæ potiſſimum apud Ægyptios reperiuntur. Quod libens animadverti, quia aliis gentibus familiare genus hoc armorum ex aliorum eruditis commentariis conſtat. Ex Lapponia ſagittas habuit in Muſæo *Wormius* cornubus acutis armatas, & ex Groenlandia ſimiliter Academicum Muſæum monſtrat. Uſum in hoſpitiis publicis veluti penuario loculamento præbuiſſe cornu, ex celebri Amaltheæ cornu multorum fabu-

fabulis obfuſcato primus obſervo: quod ad veritatem hiſtoriæ certæ reducturus *Palæphatus* περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν apud me *MS.* non obſcurè indicavit, qui ipſe audiri meretur cap. 45. De Cornu Amaltheæ: Ἡ δὲ ἀλήθεια οὕτως Ἡρακλῆς ἀποδημῶν κατὰ Βοιωτίαν μετὰ Ἰολάου τοῦ ἀδελφιδοῦ, καταλύει ἐν Θεσπεσίαις ἔν τινι πανδοκείῳ ἐν ᾧ ἦν τις γυνὴ καλουμένη Ἀμάλθεια, ὡραία καὶ καλή. Ὁ δὲ Ἡρακλῆς ἡδόμενος αὐτῇ, πλείονα χρόνον ἐξενίζετο. Ἰόλαος δὲ βαρέως φέρων ἐπινοεῖ τὴν ἐμπολὴν τῆς Ἀμαλθείας, ἐν κέρατι κειμένην, ἀνελέσθαι. ἐξ ἧς ἐμπολῆς, εἴ τι ἤθελεν, ὠνεῖτο τῷ Ἡρακλεῖ. ἔλεγον οὖν οἱ συνέκδημοι, Ἡρακλῆς τὸ κέρας ἔχει τῆς Ἀμαλθείας ἐξ ἧς ὠνεῖτο ὅσα βούλοιτο ἐπ' αὐτῷ. Quæ Romanis ita reddidi: *Hercules ex Bœotia cum Iolao ex fratre nepote profectus in Theſpeſian appellit ad quoddam diverſorium, in quo mulier erat Amaltheæ nomine venuſta & proba, cui Hercules placens diutius ſe hoſpitem præbuit. Iolaus verò id gravius ferens in animum induxit merces* (ſeu pecuniam, ſeu potiùs ut ex hoſpi-

tii conditione conjicio, commeatum domeſticum) *Amalthea in cornu poſitas* (accumulatas vertit *Philippus Phaſinia-nus* Bononienſis) *furto legere, ex quo mercator, quidquid vellet Herculi divendebat. Dixerunt igitur viæ comites, Hercules cornu habuit Amaltheæ unde emit quidquid ex eo voluit. Ex hoc fabula hæc propagata eſt.* Hæc ille. Itaque ſive merces illæ numerata pecunia fuerint, ſive cibi, ſive oleum, quod mihi magis placet, inter vaſa domeſtica cornu habuiſſe locum intelligimus, idque vel ſanitatis gratiâ, vel ob faſcini metum. Cui mori affines ſunt opiliones noſtri & ruſtici, qui ſive in ædibus ſive itinere cornu bovinum ſævo vel aliis neceſſariis inſtructum circumferunt. Et Romæ Meſſanæque frequens in pergulis conſuetudo cornibus ſuſpenſis collectos nummos colligere. Idem apud Septentrionales quoque olim in uſu fuiſſe ex Hiſtoria Urſæ Regis Sueciæ Uxoris enarrat *Edda* ſeu Mythologia Iſlandica, edita nuper Hafniæ à *Petro Reſenio*

Am-

Ampliſſimo Urbis Præſide. Hanc enim filio ſuo Hrolfoni, ut offenſas remitteret, cornu auro plenum dediſſe. Aliorum de Cornu Amaltheæ narrationes hic de induſtria omitto, ſiquidem Lectori Cornu Aureum *Wormii* noſtri accuratiſſimum ſufficit. Unum tamen addo, Cornu Amaltheæ aliquibus in *Athenæo* lib. 12. locum eſſe in nemore amœniſſimum, egregiæ multitudinis, aquiſque irriguum, juxta Hipponium, quod condiderat Gelo. Hipponium autem in Calabria eſt, quam à *Vellejo* Valentiam, nunc *Monteleone* vocari *Hier. Maraſioti* lib. 2. Antiq. Calabr. cap. 17. tradit. Quam quidem urbem prætereuntes nos ob loci delicias, fructuum abundantiam, & gratum ſtrepentium aquarum murmur, mirari deſivimus Cornu Amaltheæ nuncupatam. Quippe cornu vario Cerealium apparatu repletum, annonæ copiam in veterum nummis deſignat apud *Ant. Auguſtinum*, *Fulvium Urſinum*, *Sebaſt. Erizzum*, *Æneam Vicum*,

*cum*, *Franciſcum Angelonum*, alioſque quorum ſtudium circa nummos occupatur. Ex qua ubertate felicitatem ſæculi in Galbæ, Trajani, Decii, Antonini Pii, & Honorii nummis præſerunt Cornucopiæ, Providentiam Deorum in Balbini, Pacem in Vitellionis, Veſpaſiani, & Titi, Concordiam in aliquot Galbæ, Veſpaſianique, Fortunam denique obſequentem & liberalitatem in duplici numiſmate Antonini. Etiam divitias felicitati junctas, in ære ſignato Cæſaris, Auguſti, & aliorum, quorum felici tempore, ut canit *Lyricus* in Carm. Sæculari,

—— *Apparet beata pleno*
*Copia cornu.*

Imò jure merito Cereri appinguntur, genioque populi Romani in Diocletiani nummo qui apud me eſt, quia eo fertilitatis ſpectaculo Autumnus frugibus turgens introducitur apud *Horatium* lib. 1. Epiſt. 12.

—— —— *Aurea fruges*
*Italia pleno diffudit copia cornu.*

*Ovidium* quoque lib. 9. Metamorph.

*—— Totumq́ue tulit prædivite cornu*
*Autumnum ——*

Denique ne alios advocem, *Calphurnius* Eclog. 10.

*Interea pueri floreſcit pube juventa,*
*Flavaq́; maturo tumuerunt tempora cornu.*

In ſacris Hebræorum oleo deſtinatum cornu ad unguendos Reges Domini unctos, modò vaſculi formâ, modò propriâ. Vaſculi ſpeciem gerebat illud ex quo *Samuel* primum Regem conſecrabat, unde ſine cornu mentione vaſculi appellationem meruit 1 *Sam.* 10. *ꝟ.* 1. *Tulit autem Samuel vaſculum olei, & effudit ſuper caput ejus.* Lenticulam interpretatur *B. Hieronymus* in vulgata verſione à ſimilitudine leguminis, nominis & figuræ ejuſdem, de quo *Dioſcorides* lib. 18. cap. 22. *Cælius Apicius* lib. 5. de Re culin. cap. 2. Quam lenticulam ex Apul. optime deſcribit *L. Pignorius* de ſervis Commentario, addito accurato Schemate (cujus Apographon hic quoque damus) illius lenticulæ, quæ apud



*Io. Rhodium* verum eruditionis Pignorianæ hæredem nunc exſtat. Cornu autem in Davidis conſecratione adhibitum 1 *Sam.* 16. 1. ex mandato Jehovæ: *Imple cornu tuum oleo, & veni, ut mittam te ad Iſai, Bethlehemiten.* Quod adveniente Davide exſequutus eſt Propheta v. 13. *Tulit ergò Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus.* Ex quâ vaſculorum differentia utriuſque præviderunt fatum *Hebræorum Doctores,* Saulis quidem brevi terminaturum, quia vas figulinum explicant, Davidis verò perennaturum ob cornei vaſculi conſtantiam. Quo pertrahunt iidem Davidis hymnum *Pſal.* 91. 11. *Et exaltabitur, ſicut Unicornis cornu meum, & ſenectus mea in miſericordia uberi.* Eumque ad mentem Hebreæ originis ita vertunt: *Et ſenectus mea cum oleo recenti.* De cornu quoque interpretantur, oleoque quo à Samuele unctus erat. Senectus imperii ſui notavit extenſionem ad ſeriem poſteritatis ejuſdem familiæ, quam ideo exaltatam oleo recenti dicunt,

eunt, quòd duraturum ſit oleum ad filios quo ipſe inunctus fuerat, nec aliâ unctione opus fore. Quod quidem ex Talmudicorum conjecturis dependet, quibus filii Regum nunquam ungebantur, niſi aliquo exorto diſſidio, ut inter Salomonem & Adoniam 1 *Reg.* 2. Ad ejuſdem dominii perpetuitatem referunt quoque cornu Annæ Matris Samuelis, quod in Deo exaltatum prædicatur 1 *Sam.* 2. 1. Ubi curioſius quæſtionem moventes *Talmudici in* 1. *Megila*, quare non dixerit Anna, exaltatum eſt vaſculum meum? ipſi reſpondent, Davidi Salomonique cornu unctis prolongatam eſſe imperii ſucceſſionem, Saule verò & Jehu vaſculo unctis cum vita regnum deſiiſſe. Unde cornu familiæ ſtabilitatem ex mente Annæ non malè interpretabimur, niſi fortaſſe ad filii Sacerdotium animum converterit præſagum puerpera. Cornu hanc explicationem à Rabinis ut arbitror, hauſit *Cardinalis Hugo* in loci hac enarratione: *Saul inunctus fuit oleo len-*

*lenticulæ fictilis, in ſignum quòd Regnum ſuum citò frangendum erat. David autem inungitur oleo cornu, quia regnum ejus duraturum erat in æternum.* Quam cornuum perpetuitatem ad Ducale Venetorum cornu applicat *Petrus Romerus Hiſpanus* cap. 18. De Venetia æviterna, ut æternum imperii fluxum Urbi auguſtiſſimæ auguretur. Captabant id omen Magni Moſcoviæ Duces, quando pro Imperii ſui ſceptro Unicornu elegerunt, quod occupatâ nuperis Poloniæ bellis Moſcâ Urbe ſtrenuo Viro *Alexandro Sborosky* in prædam cum media Coronæ parte ceſſit. Cujus relationis teſtem advoco *Ioſephum de Aromatariis* Medicæ Artis & omnis literaturæ peritiâ notiſſimum, qui id Venetiis oculis uſurpavit. In cornubus alioquin oleum ferebatur, ſed accenſum, Lucernarum vice, apud Romanos Græcoſque in familiarem uſum tractum. Teſtis *Plautus* in Amph. Act. 1. Sc. 1.

*Vulcanum in cornu concluſum geris.*

Et *Plinius* lib. 11. cap. 37. *Apud nos in*

*lani-*

*laminas ſecta translucent, atque etiam lumen incluſum latiùs ſundunt.* Probatequ *Lucretius* lib. 2.

*Præterea lumen per cornum tranſit;*
Cujus vice veſicam quibuſdam fuiſſe canit *Martialis* lib. 14. Epig. 62.

*Cornea ſi non ſum, nunquid ſum fuſcior? aut me*
*Veſicam contra qui venit eſſe putat?*

*Ammianus Marcellinus* lib. 22. majoris lucernæ meminit ad Byzantinum promontorium expoſitæ: *Conſtantinopolis, veteribus Byzantium, Atticorum colonia, & promontorium Ceras, prælucentem navibus vehens conſtructam celſius turrim, quapropter Pharos appellatur.* Rectiùs in rem noſtram corrigit *Cl. Salmaſius*: *quapropter Ceratos appellatur*, à cornu per quod lampades lucebant, à quo χρυσοκέρας *Solino*, aureum cornu *Plinio* à rutilante flamma veniebat promontorium, à quibus facibus etiam aurea laterna *Martiali* dicta lib. 14. Ep. 61.

*Dum laterna viæ clauſis feror aurea flammis,*

*Et*

*Et tuta eſt gremio parva lucerna meo.*

Cui comparari poſſunt lucernæ maritimæ in Patria noſtra navigantium ſaluti accenſæ, & illæ quæ in promontoriis Neapolitano, Liguſtico, Meſſanenſi, & Genuenſi conſpiciuntur. Ab *Olympiodoro* in Meteorolog. per λαμπτῆρες cum Byzantinis delineatur: Ὥσπερ οἱ λαμπτῆρες, τουτέστι τὰ διαφανῆ κέρατα ἐν οἷς ἐντίθενται αἱ λαμπάδες νυκτῶρ. *Sicut pharus ſeu candelabrum, hoc eſt, pellucida cornua, quibus imponuntur lampades nocte.* Quales in Populoniæ littore defuiſſe male habet in Itinerario ſuo *Rutilium Numatianum* Poëtam elegantem & naturali facilitate fluentem, Lib. 1.

*Non illic poſitas extollit in æthera moles,*
*Lumine nocturno conſpicienda Pharos.*

Dubius hæreo an eadem in tabernaculo Moſaico cornua lucernarum partes ſuppleverint? Ignorare ſanè eſt neceſſe, quia aſſequi non potuit *Fortunatus Schacchius* in egregio illo Elæochriſmatων opere.

CAP.

## CAP. XXXV.

*Cornu Cervini præſtantia, & uſus, moduſque præparandi.*

INter potiora Unicornuum ſuccedanea Cornu Cervinum, Ebur, & Unicornu foſſile, quorum tanta cunctis innotuit virtus, ut vero Monoceroti non ſolum exæquarit, verùm longè prætulerit magnum mortalium juvamentum, quod veritate rerum potiùs quàm verborum ampullis expenditur. Primas dignitatis partes Cervino damus cornu notæ virtutis & efficaciæ, de quo quidquid dixeris, minus erit, ut fruſtrà Monoceroti Veterum aliquid tribuamus quod haberi non poteſt, detrahamuſque illi quod præſens utilitati ſervit magis quàm oſtentationi. Sed eo plerunque vitio laboramus ut abſentia laudemus, & remotiora adoremus, quæ à noſtris finibus Natura removit. Neſcio ſane, juxta neſcientem *Tacitum*, quo fuco externa ſe adornant, & plerum-

feriſque ortam percurare eâdem poteſtate fertur qua Monoceros verus, cujus apud *Plinium* indicia habemus lib. 8. cap. 32. *Accenſis utrislibet, odore ſerpentes fugantur, & comitiales morbi deprehenduntur.* Devenit & ad tormina doloris colici diſcutienda pulvis Cornu Cervini à nonnullis Practicorum filiis inter ſecretiora Medicamenta preſſus, ſive quòd manifeſtâ ſiccitate agat, ſive occultâ, ut Lupi ſtercus in pulverem comminutum & Galberita. Nam aliquando luis Epidemicæ noxam induit Colica apud *Paulum Æginetam* lib. 3. cap. 43. Ejus pulveris ſecreti meminit *Galenus* lib. 9. de Comp. Med. per loca cap. 4. n. 2. in Colicis: *Cineris cornu cervi teneri uſti heminam, piperis albi, myrrhæ, utriuſque drach. 2. ex tritis cochlearium unum exhibeto.* Quem ex *Scribonio* transſcripſit in compendium, qui tamen Compoſit. 122. parciori menſurâ ex cornibus teneris ſumit cochlearia tria cumulata, ſatis ampla, quæ nec cyathum niſi tribus partibus

æquant,

æquant, quorum cyathorum ſex heminam complent à *Galeno* poſitam. Eadem forſan eſt cauſa quare fœcunditatem mulieri inducat apud *Albertum* & *Wecherum* lib. 5. Secret. vel enim nimiam humiditatem abſumit, vel ſemini adverſas qualitates tollit. At verò ſumma in utroque affectu peſtilentiali febre, & colico dolore, adhibenda cautio, ne juvandi ſpem majori noxâ ſubruat. Perſpiratio enim & alvi obſequium neceſſaria, in febribus putridis illa, hoc in utroque quibus tamen Cornu cervi adverſatur liberiorem corporis ventilationem inhibens; unde eo temperamento ad ejus uſum accedendum, ut vel ſudorem moventia vel ventrem, neceſſariâ copulâ miſceantur: vel certè ſine Vulcani opera præparetur, ut in noſtris fit Officinis, modumque deſcribit *Ioſephus Donzellus* amicus noſter in Antidotario Neapolitano. Nec inelegans eſt hæc ratio, quæ *Io. Zwelfero* Viro peritiſſimo arridet: Conficiendum inſtru-

ſtrumentum, duobus tribuſve foraminulis in fundo pervium, & à latere in collum capitelli veſicæ patens. Quod Cornu Cervini fruſtulis debito tempore interempti impleatur. Mox ne quid vaporis exſpiret, ſuperiùs claudatur ſimulque collo veſicæ capitelli applicetur. Veſicam autem aquâ implebis cum certæ notæ herba quæ ex uſu futura putabatur, vel ſanè loco vulgarium Cardui benedicti, aut Abſinthii cineres addes, ut citiùs calcinetur cornu & candorem acquirat. Hoc pacto duabus tribuſve diebus à vapore calido tenereſcat. Exque eo Confectionem opiatam, admixtis aliis pro curandorum morborum varietate, Belgas quoſdam ſeplaſiarios componere monuit me Vir candidus *Abrahamus Hertog*. Quòd ſi quintam eſſentiam hujus Cornu propinare malueris, eam in Myrothecio Spag. lib. 1. cap. 29. *Petr. Io. Fabri* propoſitam invenies.

## CAP. XXXVI.

*Ebur an Cornu dicendum. Ejus uſus, & dignitas varia ex Vett. probatur. Tullio lux: deque ebore Cautio.*

SEcundum ab hoc Ebur ſuccenturiatas Monoceroti operas præſtat merito, ut videtur, ſuo, quòd & nomen Cornuum imitetur, & operationis gloriam velut æqualem trahat. Cornu nomen à *Iuba* Philoſopho antiquo impetraverat ſine aliorum conſenſu, ut memoriæ reliquit *Plinius* lib. 8. cap. 3. iſtis verbis: *Prædam ipſi in ſe expetendam, ſciunt ſolam eſſe in armis ſuis, quæ* Juba *cornua appellat*, Herodotus *tanto antiquior, & conſuetudo melius, dentes.* Conjectura *Iubæ* duplici fulcro ſuſtentatur; nam dentibus idem qui cornibus uſus ad tutelam datus ſuique defenſionem, ut Apro: eadem quoque propemodum materia, teſte *Ariſtotele* lib. 3. de Hiſt. cap. 9. unde etiam tantâ figuræ ſimilitudine junguntur, ut non

rarò

raro pro Unicornu dentes ferarum ſupponantur quos ejuſdem virtutis umbra obduxit. Cornu quoque appellare amat *Martialis* lib. 1. Epig. 37.

*Dentata ſibi videtur Ægle,*
*Emtis oſſibus Indicoque cornu.*

Magna equidem Eboris omni ævo veneratio frequenti nobilioris naturæ & Monoceroti paris præconio excitata. Inter pretioſiſſima auro contra æſtimanda venit *Lyrico* lib. 1. Od. 31.

*Non æſtuoſæ grata Calabriæ*
*Armenta: non aurum, aut ebur Indicum.*

Ex quo ſimulacra Deorum immortalium effigiata, teſte *Plinio* lib. 12. cap. 1. *Ex arbore & ſimulachra numinum fuere, nondum pretio excogitato beluarum cadaveri, antequam ut à Diis nato jure luxuria eodem ebore numinum ora ſpectarentur, & menſarum pedes.* Idem antea dixerat lib. 8. cap. 10. breviori commate: *Dentibus ingens precium & Deorum ſimulachris laudatiſſima ex iis materia.* Libros ebore vel ornatos vel circumdatos eadem

dem religionis veneratione ex antiquo lapide patet, qui in angulo Fori Brutorum Regii hac Epigraphe cernitur.

.. PELBEM AEREAM CORINTHEAM. ITEM. IN. TEMPLO APOLLINIS MAIORIS PVGILLARES. MEMBRANACIOS. OPERCVLIS. EBOREIS. PVXIDEM... OREAM TABVLAS. PICTAS. XVIIII.

Ubi optimè ſupplet ebOREAM PVXIDEM *Georgius Gualtherus* in Antiquis Siciliæ Tabulis. Currus etiam quo Babyloniorum Rex vehitur ex ebore totus, rhedæ Græcorum ſimillimus, apud *Adrianum Rhetorem* Decl. 4. ab *Allatio* editum; qualem & *Spartianus* in Heliogabalo notavit, non abſimilem illi, de quo *Tibullus* lib. I. Eleg. 7.

*At te victrices Lauros, Meſſala, gerentem*
*Portabat nitidis currus eburnus equis.*

Et *Ovidius* Epiſt. 1.

*Hunc Venus in cœlum curru vexiſſet eburno.*

Magnificentiæ enim ſymbolum olim habitum ebur, ut exinde ſceptra confecta apud *Iuvenalem* Satyr. 10. & effigies Germanici, notante *Tacito* An. 2. eburnea quoque fuit: imò ſplendidioribus pro fibula uſurpatum ex *Io. Baptiſta Mantuano* advertit in Acia *Io. Rhodius* Muſarum amor.. In quam rem digna *Scylacis* in Periplo Carthaginis adverſio, quem nuper paternæ virtutis æmulus *Iſaacus Voſſius Ger.* fil. notis illuſtravit; is Æthiopes memorat pro ornatu eburneis phialis uti, mulieres verò armillis eburneis, & equos eburno ornari.

Quæ cauſa antiquos Legislatores impulit, ut lege pretioſi eboris profuſionem inhiberent, modumque, ut auro, ſtatuerent. Huc enim ſpectant Legis verba apud *Tullium* lib. 2. de Leg. *Ne quis agrum conſecrato: auri, argenti, eboris ſacrandi modus eſto.* Quæ profectò plu-

plurimis ſudorem movêre ſine neceſſitate ſe legemq́ue torquentibus. Indicat enim parciori manu conſecrandam Diis rem humanis uſibus neceſſariam, nec planè damnat ebur, ut Deorum majeſtate inferius, ſed modum ſacrandi temperat, quod minimè aſſequutus eſt *Cicero* in hac L. explicatione: *Aurum autem & argentum in urbibus & privatim & in fanis invidioſa res eſt. Tum ebur ex inani corpore extractum haud ſatis caſtum Deo donum.* Quare minùs caſtum? an quia ex inani corpore depromptum? Talia ſanè ſunt & alia quæ mortalis conditionis Diis ſuis offerebant. Quanquam verius videatur non omne ebur damnaſſe, ſed illud ex inani corpore extractum ſive loculamentis dentium vacuis. Quæ lucem fœnerabuntur à verbis *Plinii*, quæ talia in diſtinctione dentium exſtant lib. 8. cap. 3. *Deciduos caſu aliquo vel ſenectâ defodiunt: hoc ſolum ebur eſt, cætero, & in his quoque qua corpus intexit, vilitas oſſea.* Hincq́ue adeò eſt quòd rari etiam veteribus ſint nobiliores den-

tes, quia defoſſi facilè deperduntur, & injuriâ pullulæ terræ obliterantur, ut condonandum ſit *Leonardo Fuchſio* qui l. de Med. Compoſ. nullibi (parcant Latini manes) verum Ebur reperiri crediderat, à *Garcia ab Horto* lib. 1. cap. 14. eo nomine vapulans. Neque frequentior, ut apparet, illis qui dentis defectu oſſibus Elephantum pari ſucceſſu utuntur, quæ cremata ſpodii vice in Electuario de ſucco Roſ. Nicolai ſubroganda cenſet perſpicaciſſimus *Ludovicus Septalius* lib. 9. Cautione 109. ut roſas virtute æquet, quas ut vocant, incompletas rubras pro ſpodio in compoſitionibus Arabum ſubſtituit *Abenſina* lib. 3. tr. 2. *Ingraſſias* cap. de Succed. & *Marcus Antonius Alaymus* Lib. de Succedaneis.

## CAP. XXXVII.

*Unicornu foſſile non eſſe gemmam. In Italia reperiri. Materia ejus ſit-ne lapis. Petrificatorum ſylloge. Vitrum, Caro, & Lignum foſſile. Unicornu hujus examen & Virtus.*

CLaſſem hanc demum claudat Cornu foſſile inſigne & figurâ ſpectabile, in quo Unicornuum vicarias vices admiramur. Cornu appellatione inſignitur ad figuræ aliqualis ſimilitudinem, eo jure quo Cornu Ammonis duritiei ſaxeæ moles apud veteres laudabatur ab arietini cornus effigie, ut etiam depingitur à *Ferrante Imperato* lib. 24. & *Anshelmo Boëtio à Boot* lib. 2. cap. 246. nec ita pridem anguis in ſpiram convoluti ſpecie in *Muſæo Wormiano* videbatur. In quo tamen cornu, ut obiter id addam, erravit *Plinius* dum inter gemmas Æthiopicas his referret verbis lib. 37. cap. 10. *Hammonis cornu inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas, au-*

*reo colore, arietini cornus effigiem reddens promittitur prædivina ſomnia repræſentare.* Vel enim lapidem non vidit, vel oculos aliqua nubecula faſcinavit. Varias in magnitudine & figura cornuum Ammonis differentias lib. 4. Hiſtor. Baln. Bollenſis propoſuit *Ioh. Bauhinus* magni *Caſp. Bauhini* frater, qui legi meretur. Nos verò arietinis cornibus ſimillima complura ipſi ex colle Meſſanenſi cum *Petro Caſtello* ſummo loci Doctore, eruimus eâ parte quâ altius hortus publicus aſſurgit. Sed ad cornu noſtrum foſſile reverſus *Garciam ab Horto* magis miror, quàm ille *Andream Lacunam*, quod lib. 1. cap. 14. nihil magis à veritate alienum dicat quàm foſſile & minerale ebur inveniri. Quid enim obſtat difficultatis quò minùs fide dignis ſcriptoribus aſſentiamur. *Lacuna* à *Plinio* forſan hauſerat lib. 26. cap. 18. cujus hæc verba: *Theophraſtus auctor eſt, & ebur foſſile candido & nigro colore inveniri, & oſſa è terra naſci, inveniriqúe lapides oſſeos.* Poſt hunc notat *Carolus Cluſius*

ſius ad *Garciam* ſibi laminulas quaſdam
Eboris foſſilis nativum æmulantis, ſed
cruſtâ quâdam candidiſſimâ inducti à
*Raſſio* ſuo, omnium naturæ miraculo-
rum diligentiſſimo obſervatore, do-
natas eſſe, intellexiſſe pariter in Italia
erui hoc ebur & magno in uſu iſtic eſſe
adverſus virulentorum animalium mor-
ſus. Erui tamen in Italia non perſua-
ſit Viro Clariſſimo *Philippo Hoechſtette-
ro* Auguſtano Medico, quin Decad. 5.
Med. Obſerv. Caſ. 9. in Scholio, mer-
catorum aut diligentiâ aut aſtu, non
naturæ artificio, id fieri crediderit.
Sed plus impetraturam confido conti-
nuam temporum experientiam *Cluſio*
poſteriorem, quàm inanes conjecturas.
Dari enim ebur ſeu Cornu foſſile teſta-
tur in Muſæo Naturalium rerum *Fer-
rantes Imperatus* lib. 25. & *Franciſcus*
ejus Filius Diſcurſ. 1. eruique craſſi-
tudine brachii, longitudine multo-
rum paſſuum, & Antidotum veneno-
rum vulgò æſtimari. Quod ipſi ibi-
dem oculis uſurpavimus. Cui accla-
mat

mat plurimorum Doctorum chorus, interque eos Apollo *Olaus Wormius*, in cujus Pinacotheca in certam rei fidem plura cornu hujus viſuntur fruſtula, unum quidem colore candido friabile, molle, odore gratiſſimo, validè adſtringens medulla cornu Cervini faciem exhibens; alterum verò Ebur uſtum fuiſſe videtur, nigricante exteriore cortice, quam priùs duriori ſubſtantiâ, ita tamen ut cultello facilè radi poſſit, leve, adſtringens, non adeò, ut prius friabile, colore verò & candore in gilvum tendente; quibus tertium accedit fuſcum, ligni alicujus portionem figurâ exprimens, odore non minus grato adſtringendiq́ue validâ naturâ præditum, quod etiam ad veras cornu foſſilis ſpecies refert laudatus *Wormius*. Fruſtula non exigua hujus Eboris in Aldrovandino Muſæo Bononiæ monſtravit *Barth. Ambroſinus* loco, & authore, quem ſequitur digniſſimus, & in Publica Piſarum Technicotheca ferè totum cornu ejuſdem gene-

generis conſpicitur. Sed omnem planè dubitationis anſam præſcindit operoſum illud Unicornu foſſile annis retrò-euntibus Romæ erutum, quod apud Naturæ & antiquitatis Dictatorem *Caſſianum Puteum* ſervatur, cujus benignitate etiam ad me non vulgaris portio ejus tranſivit. Similis formæ Ebur nuperis annis prope Panormum è montibus præſente *Io. Domin. Proſimo* erutum, & in Calabria, de quo an verum Unicornu fuerit *Cl. Tomaſini* amicus dubitat. De materia præſenti ambigi non poteſt, quia ſaxea forma in oculos incurrit, unde *Iulius Scaliger* Exercit. 137. n. 1. Ebur foſſile nihil quàm lapidem pronunciat, cornu ſubindè imitatur, & os calcinatum in cruſtas rotundas diviſum invicem ſe amplexantes, quæ cortice exteriore teguntur flaveſcente vel obſcuriore, medullâ verò interiori albâ conſtant, & friabili, inſigni adſtringendi robore firmata. Verùm de prima generatione dubitatio non levis animos verſat, num

cornu vel dentes fuerint in lapideam duritiem compacti ætatis moræque ambitu, an ex prima lapidum mole in certam tantùm dentis cornuve figuram effecti à Natura. Utrique ſimul ſanè ſua ſit ratio ſi alterutrum nolis. Nam novum dentibus animalium non eſt in ſaxum denſari, quum id pluribus uſu veniſſe obſervatio quotidiana manifeſtet. In Muſæo ſervamus dentem Roſmari petrificatum, & alium in terra Iſlandia calcinatum. Infantem Agendici Senonum utero 28. annorum ſpatio geſtatum in lapidem verſum deſcripſit *Thuanus* lib. 17. Hiſt. Gallicæ, & nos eadem facie integrum Venetiis vidimus apud *Gilibertum* aurifabrum qui eum è Gallia magno pretio paravit jam in Regis Daniæ Technicotheca viſendum. Vir alius in lapideam ſubſtantiam converſus Romæ in palatio Ludoviſiorum oſtenditur, cujus argumentum ipſa oſſa præbent & coſtæ ſuam adhuc formam ſervantes. De Lydiæ metallurgis refert *Ariſtoteles* de admir.

mir. Audit. ſuffocatis intercluſo ſpiritu obſtructis oſtiis, poſt longi temporis intervallum in lapides converſos cum vaſis, amphoris & liquore in iis contento fuiſſe extractos. Cui Metamorphoſi ſimilem narrat Hiſtoria Bavarica, ut apud *Parentem* noſtrum de Mixt. cap. 6. & *Sennertum* lib. de Conſ. & Diſſ. videre eſt, & uxori Lothi Sodomis egrediunti idem contigiſſe ſacræ paginæ tradiderunt, quod per inſitum ſalem procuraſſe edicti vindicem *B. Auguſtinus* divinavit. Idem ſæculo noſtro in Barbaria propè Tripolim evenit, ubi certo iræ divinæ argumento civitas quædam non ignobilis ſubitaneâ mutatione in ſaxeam duritiem converſa, ex qua puerum pertrificatum ad Card. *Richelieu* quidam detulit, lignumque ex eadem urbe petrificatum in Muſæo *Io. Fr. Habelæ* Ordinis Hieroſolymitani Vicecancellarii Melitæ conſpeximus. Idem brutorum fatum in partes eorum graſſatur, quæ occupat. Conchyliorum cruſtatorumque infi-

nita genera ex montibus Vicentinis effodiuntur in lapidis duritiem firmata, quorum egregiam ſupellectilem apud *Io. Dominicum Salam*, Gymnaſii Patavini Theoricum ſummum, & noſtrum in Praxi ducem, heu quondam, videre licuit. Idemque in Siculo Calabroque itinere frequentiùs invenimus. Quò ſpectant ſerpentum integra gyrataque corpora, quà linguas, quà oculos, dorſumque Melitæ in petram converſa. De quibus in mea de *Gloſſopetris Diſſertatione* ſententiam tuli. *Oſualdus Crollius* Præfat. Lib. de Signaturis, in Moravia tribus leucis Brunnâ non longè à territorio Abbatis Obrovicenſis, ſub altiſſima rupe, duorum inuſitatæ magnitudinis animalium oſſa, unà cum duobus junioribus, effoſſa, obſervavit in lapidem temporis ſpiramento longiori mutata. Viderunt in dentibus oſſibuſque idem *Plinius* & *Geſnerus*, nec aliud magis in Muſæo *Aldrovandi* Bononienſi & Magni Ducis Florentino Piſanoque frequentia admirandum.

Cornu Cervinum ſaxeum ramoſum nodoſumque in Muſæo *F. Calceolarii* Veronæ inter reliqua Naturæ miracula delineavit eorundem deſcriptor *Federicus Cerutus* Sect. 3. planè ad *Boëtii* mentem, quæ etiam arboribus in eo favet, quòd cum animalibus in pari diſcrimine vocentur. Ligna enim arboreſve complures eandem aleam ſubiiſſe *Ferrantes Imperatus* lib. 24. Nat. Hiſt. demonſtrat, nobiſque & in patria, & exteris locis non ſemel obvium fuit. Duobus autem modis in lapidem concreſcunt, ſi credimus auctoribus, vel violentiâ ignis, quæ, dum principia liquefecit in novam formam unat, vel aquæ glutino, quibus terreſtris craſſiorque materia tribuitur. Ignem enim terram in lateres excoquere, & aquæ frigus excludendo ſubtiliora reliquum arctiùs conſtringere. Sed remotiores hæ cauſæ, propinquæ rationem vix ſuſtinent, quam aſſequutos ſe putarunt Spagyrici ſale ſuo communi concretionis opifice. Verùm preſſiùs ad verita-

tem C. *Bartholinus*, Pater ſempiterno deſiderio lugendus L. de Corp. Perf. mixtis Inan. cap. 10. ſuccum lapideſcentem materiam proximam ſtatuit, in quo ſit ſpiritus, lapidificus efficiens lapidum ſali plerumque conjunctus, hancque ut in corpore humano, ita magno Mundi opificio calculorum concretionis cauſam exiſtimo, quæ & in terrarum ſecreta ſe abdit, & in aquis deliteſcit & per aëra vagatur vel calore vel frigore excitata; Calore quidem in calidioribus terræ cavernis, frigore vero in aquis manifeſta & cryptis profundioribus Siciliæ, collium *Vicentinorum* & munimentorum *Aurelienſium*, unde aquam in calculos denſatam per guttas collegi. Hac igitur veluti calculoſâ aurâ afflati mortales eorumque partes, eboris foſſilis ſpeciem poſſunt præferre & abditos dentes, oſſa vel cornua animalium ſeu clade ſeu peſtilentiâ catervatim Diti adnumeratorum in lapideam ſubſtantiam immutare. Poteſt quoque artificioſa Natura ex

ſolius

ſolius terræ mixtura ſaxeæque molis vario flexu modò dentes modò cornua non minùs felici ſucceſſu moliri quàm aliorum formas tentaverat. Aliàs enim apud *Agricolam* lib. 1. & 2. de Foſſil. alioſque Achatem variis formis inſtruxit, modò palumbi, modò catuli, modò ſerpentis, modò piſcis, & Eislebianum lapidem jam in Gallum efformavit, mox Salamandram; Florentinumque variis urbium, ſilvarum, montiumque emblematis ordinavit. De quibus quia pleniori pennâ ſcripſerunt alii, *Plinius*, *Geſnerus*, *Albertus*, *Scaliger*, *Cardanus*, *Cæſalpinus*, *Boëthius*, *Calceolarius*, *&* *Baſilius Beslerus*, ne actum agam, plura non addo. Nonnunquam in vitri ſpeciem terram compingit caloris ope, tantæ denſitatis, ut ferri loco pro ſecuri ſit Americanis. Hoc Vitrum foſſile vocat *Imperatus* lib. 25. extremo, ex terra erui ſolitum. Cujus fruſtulum dono *Ioſephi Donzelli* Neapolitani Podalirii, poſſideo. Et, quod admirationem transgreditur, car-

nis

nis ſimilem ideam ſubinde foſſilia nanciſcuntur, ut ex *Libavio* conſtat. Novo ligni ſpectaculo ex terreâ lapidi mixtâ materie ſæculum noſtrum illuſtravit nuper Natura duabus retrò meſſibus, Aquaſpartæ in Umbria, ubi lignum foſſile inventum cedro Mauritanico ſimile, venis in longitudinem extenſis, non in altitudinem, quia radice caret, cortice interdum fragili, aliquando duriſſimâ & aſperâ, partim ligneâ, partim cretaceâ, ſed medullâ duriore. Mirum variantis naturæ miraculum cum ſtupore apud unicum ejus inter mortales authorem *Caſſianum Puteum* vidi, & in rei fidem dono ſingulari aliquam ejuſdem ligni partem, rudem partim, partim tornatam, ſervo. Reſinam lignorum inſtar ſudat candidam, Maſtichi ſimilem, vel thuri; Metallique filamenta quædam habet & capillamenta, ut numen Metallophyti impetraverit à *Franciſco Stelluto*, qui totam ejus hiſtoriam Etruſco idiomate cum depicto ligno typis Romæ vulgavit,

gavit, ubi & terram foſſilis hujus materiam inde exploravit, quòd gleba ei adhærens humida poſt aliquot menſes tota evaſerit lignea, à calore, ut arbitror, temperato, quem modica oleoſaque humiditas in ſicciorem lapidem vetat indureſcere. In Iſlandia lignum ſimile foſſile eruitur. At Cornu foſſile corpus Minerale quodammodo referre ſive origine, ſive mixturâ ex medulla ejus & universâ ſubſtantiæ conditione ad oculum deprehendimus. Etenim vena quædam per medium tranſit corpus, cava & Mineralis, Metallicæ duritiei, ſplendore & forma, cui adnata ea terra videtur, quæ eam circulari ambitu complectitur. Habet præterea candidior pars per totum ſubſtantiæ tractum diſperſas ſcintillantes quaſdam guttulas, velut gemmulas, certo Mineralis naturæ indicio. Unde vel mixta erit principiorum temperatura, vel ſingulari terræ id quidquid eſt, adſcribendum alibi à *Plinio* notatæ lib. 35. cap. 13. quam in Cornu noſtro foſſili

eò

eò libentiùs agnoſcimus, quòd ad margam cretamque proximiori viciniâ appropinquantem optimè perſpexerit *Auctor* noſter cum *Geſnero* & *Boëthio*. Eoſque confirmat Cornu hujus probata virtus cum Margis & terra ſigillata adeò decantatis paria faciens, ſive ad cordis robur augendum veniat, ſive pro aliarum affectionum, ſalutari medicamento adhibeatur. Nos curioſitate ducti ad intimius Hermetis examen vario apparatu Unicornu hoc operâ *Ioh. Zwelferi* Chymici exercitatiſſimi vocavimus, & ab humore, quod non parvâ copiâ remanſit, in retorta, ut vocant, repurgatum habuimus, pulveris formâ non injucundum, quamvis de adſtringendi vi parùm remiſerit. Mox ejuſdem per acetum tentavimus ſolutionem, acriorem ſanè & coloris obſcuritate aliquid immutatum. Tandem diſſolutione aceti deſtillati, & præcipitatione ſpiritu Vitrioli magiſterium elegans candore inſigni & nitore confecimus, ut præ crudo Unicornu viribus

adau-

adauctum & agendi celeritate non dubitemus. Sed Mineralis hujus Cornu quibus de cauſis dubiam reddiderit virtutem *Philippus Hoechſtetterus* celebris famâ & doctrinâ Vir, divinare non poſſum, qui Decad. 5. Obſerv. Medic. cap. 9. in hanc invectivam gratis prorupit: *Fabulantur de maxima hujus ſpodii energia, ac ſi cordis ſpiritus purificaret, corroboraret, animi deliquio prodeſſet, malignitati reſiſteret, & planè eas obtineret vires quas attribuunt cornu Monocerotis: de quibus quid ſentiam nolo dicere, ne excitem fautores.* Ego verò aliter judicare non poſſum, quàm tantum Virum Spodium, de quo eſt ſermo, vel non vidiſſe, vel nullum ejus feciſſe periculum, quod ad ſidera uſque extollit *Oſwaldus Crollius* in Præfatione, Monocerotis cornu hoc encomio comparans: *Deus nobis largitus eſt variis in locis, cum Unicornu verum propter raritatem in magno precio ſit, alterum* ἀντιβαλλόμενον *quod Minerale vocant, & interdum è ſtagnis effoditur, aut è montibus, ſicut aliquando in Moravia (oſſa gran-*

*grandiora unà cum duobus junioribus) effoſſa ſunt, quæ abſque dubio tempore diluvii aquarum impetu perierunt in illa ſolitudine: quorum oſſium & mirabilium dentium nonnullas reliquias aliquot menſes poſt ex improviſo illuc locorum veniens, & admonitus ejus rei, effodi curavi, & in uſu Medico eandem ferè in ipſis deprehendi efficaciam, quæ Monocerotis cornu attribui poteſt.* Vires eaſdem auget *Petrus Potarius* Chymicus Bononienſis magni nominis & experientiæ lib. 2. Pharmac. Spagyric. cap. 4. præſertim in venenis edomandis, laxitate ventriculi, inteſtinorum & alvi compeſcendâ, jecore roborando. Quas neque ſiluit *Boëthius* cap. 42. lib. 2. Nec ſanè video quâ fronte denegetur huic quod Cornu Cervino conceditur, quum utriuſque eadem ſiccitas, princeps tot virium argumentum. Pater ſanè, qui magnam ætatis partem inter experimenta conſumpſit, vix aliud feliciori ſucceſſu in cordis affectionibus, Comitiali morbo, vermibus enecandis, ad fluxus varios ſiſtendos, lachry-

mas

mas cohibendas, cicatricem ſine morſu inducendam, fatebatur ſe exploraſſe. Cui quidem ex uſu rerum magiſtro ſit auctoritas, ex vita publico bono tranſacta veneratio, ex ingenuitate fides, quam quiſque volet nomini ob veritatem largiatur, quiſque verò nolit ob invidiam, rerum non ficto ponderi det, ut quod alienis non tuemur exemplis inter exempla numeretur.

*Expliciti nobis uſque ad ſua cornua Libri*

FINIS.

# AUCTORES
## IN
## *Obſervationibus Nominati.*

ABenſina. 14. 40. 177. 332. 364.
Abenzoar 14. 34.
Franciſcus Abrianus. 15.
Accurſius. 11. 314.
Achmetes. 22. 33. 86.
Acron. 337.
Adrianus Rhetor. 361.
Paulus Aegineta. 341. 356.
Aelianus 38. notatur. 44. 45. 130. 134. 139. 142. 147. 151. 161. 176. 225. 228. 229. 230. 234. 237. 240. 242. 243. 250. 252. 253. 254. 268. 274. 293. 297. 305.
Ioannes Aemilianus. 139.
Aethicus. 213.
Georgius Agricola. 338. 375.
Antonius Aguilera. 325.
Marcus Antonius Alaymus. 364.
Albucaſis explicatur. 6. 322.
Andreas Alcaſar. 332.
Tobias Aldinus. 50. 105.
Ulyſſes Aldrovandus. 45. 53. 57. 114. 221. 249. 260. 268. 269. 270. 288. 372.
Georgius Alexandrinus. 75.
Alferganus. 96.
Leo Allatius. 151. 152. 361.
Proſper Alpinus. 326.
Joan. Henricus Alſtedius. 288. 290.
Donatus Altimarus. 278.
Franciſcus Alunnus. 270.
Amatus Luſitanus. 2. 33. 167. 243. 298.
Bartholomeus Ambroſinus. 368.
D. Ambroſius. 308.
Ioannes Laurentius Ananias. 289.
Anaromachus. 296.
Hippolytus Angelerius MS. 8.
Franciſcus Angelonus. 345.
Hieronymus Angerianus. 314
Anonymus de certamin. Herculis. 151.
Cælius Apicius. 329. 346.
Apollonius. 293.
Petrus Aponenſis. 282.
Apulejus. 24. 90. 101. 225. 273. 346.
Hieronymus Fabricius ab Aquapendente. 16. 334.
Jac. Matt. Arhuſius. 149. 262
Ariſtoteles. 36. exponitur. 37. 38. 42. 43. 44. 49. 58. 60. 67. 75. notatur. 102. 133. 134. 135. 136. lapſus 137. 138. 164. 225. 226. 230. 231. 240. 241. 249. 297. 321. 359. 370.
Roccus Arminenſis. 24.
Joſephus de Aromatariis. 350.
Artemidorus. 33. notatur. 86. 194. 304.
Aſtrampſychus. 33.
Athenæus. 315. 329. 344.

Carol.

Carol. Avantius. 61. 64.
Averroës. 213.
Horatius Augenius 354.
B. Auguſtinus. 179. 180. 190. 227. 371.
Anton. Auguſtinus. 344.
Anton. Auguſtus. 170.
Cælius Aurelianus. 42.
Autor Definitionum. 7.
Andreas Baccius. 56. 176. 182. 228. 233. 248. 249. 250. 251. 254. 258. 260. 270. 275. 277. 281. 283. 285. 287. 296. 354.
Franciſcus Bacon. 224.
Angelus Baldus. 296.
Baldus Baldus. 207.
Thomas Bangius. 90.
Joannes Barclaius. 273.
Caſpar Barlæus. 190.
Cæſar Baronius. 156.
Caſpar Barthius. 25. 85. 161.
Michaël Barthius. 134.
Bartolus Bartholinus 17.
Caſpar Bartholinus parens. 2. 108. 131. 174. 203. 204. 232. 254. 269. 292. 371. 374. 378. 380.
Caſpar Bartholinus junior. 52. 125.
Fabricius Bartoletus. 288 290
Caſpar Bauhinus. 15. 366.
Joannes Bauhinus ibid.
Bauli talmud. 160.
Io. Geropius Becanus. 114. 260
Petrus Bellonius. 50. 67. 85. 251. 252.
Andreas Bellunenſis. 177.
Mattheus Bergomas. 3. 34.
S. Bernardus. 193.
Phil. Beroaldus. 75. 337.
Gregorius Berſmannus. 197. 271.
Juſtus Bertram. 168.
Baſilius Beslerus. 375.
Biblia. 44. 227. 274.
Robertus Billeth. 117.
Daniel Blanckius. 294.
Sam. Bochartus. 183.
Anſelmus Boëtius à Boot. 263. 265. 365. 373. 375. 378. 380.
Jacobus Bontius. 166. 167. 168. 170. 181.
Arnoldus Bootius. 183.
Bernardus Breitenbach. 201.
Joan Britannicus 280.
Joannes Buxtorffius. 120.
Cabala. 289.
Andreas Cæſalpinus. 375.
Julius Cæſar. MS. 128. 129.
Franc. Calceolarius. 373. 375.
Domitius Calderinus. 330. 337.
Georgius Calixtus. 195.
Juvencus Cælius Callanus MS. 22. 23. 24.
Calphurnius. 29. 312. 321. 346.
Guillelmus Cambdenus. 307.
Campii. 208.
Canones. 310.
Martianus Capella. 95.
Julius Capitolinus 148.
Barth. Caprolus. 34.
Tiberius Caraffa laudatus. 48.
Hieronymus Cardanus. 57. taxatur. 130. defenditur ibid. 197. 240. 251. 375.
Petrus Carrera. 237.
Iſaacus Caſaubonus. 188.
Dio Caſſius 95.
Petrus Caſtellus. 173. 207. 366
Laurent. Catellanus. 255.
M. Cato. 320.
Catul-

Catullus. 42.
Nicolaus Cauſſinus. 90.
Cornel. Celſus emendatus. 147. 194. explicatus. 323.
Cenſorinus. 95.
Fredericus Cerutus. 373.
Chaldæa verſio. 29.
Petrus Chariſius. 56.
JoannesChryſoſtomus, 227.
Petrus Ciacconius. 215. 247. 339.
Cicero 227. 362. expoſitus. 363.
Claudianus. 29. 206.
Cleopatra. 340.
Carolus Cluſius. 104. 366. 367.
Codex. 11.
Columella. 68. 70. explicatur 79, 314. 355.
FabiusColumna. 58. 59. 61. 77
Natalis Comes 224. 271.
Fredericus Commandinus. 324.
Franciſcus Connanus. 320.
Georg. Contarenus. 309.
NicolausContarenus. 64. 263
Cophtæ. 182. 208.
Janus Cornarius. 194. 305.
Franc. Corvinus. 52.
Nicolaus Craſſus. 299.
Joannes Crato. 354.
Oſvaldus Crollius. 372. 379.
Academia Cruſca. 270.
Cteſias. 126. 139. 225. 226. 227, 228. 229.
Q. Curtius 16. 157.
Cyprianus. 192.
JacobusDalechampius. 2. 277
Dantes 270.
David Propheta. 30. 132. 161. 178. 179. 209. 239. 348.
Martinus Delrio. 24.
Joannes Deodat. 75.
Deuſingius. 216.
Deuteronom. 74. 77. 182. 183. 274.
Digeſta. 32. 314.
Joan Michael Dilherus. 194.
Dio. 9. 155. 161. 289.
Diodorus Siculus. 97.
Dioſcorides. 245. 346.
Joannes Baptiſta Donus. 77.
Joſephus Donzellus. 207. 357. 375.
Janus Douſa. 165.
AbrahamusEcchellenſis. 216
Jo. Echenſtein. 2.
Edda. Hiſtoricus. 343.
Nicolaus Angelus Eliſæus. 153.
Ennius 60. 71.
Ennodius. 25.
Michaël Epheſius. 241.
Epigrammatarii Græci. 58. 100.
Sebaſtianus Erizzus. 210. 235. 344.
Thomas Erpenius. 96.
Ardens Etereus. 49. 132.
Eucherius. 182.
Euripides. 151.
Euſebius. 90. 185. 224.
Exodus. 25. 208.
Felix Faber. 201.
Petrus Joan. Faber. 174. 358.
Gabriel Fallopius. 278.
Jacobus Peſchius. 2.
S. Pomp. Feſtus. 58. 148. 153. 159. 319.
JuliusFirmicus. 186. 190. 192
Valer. Flaccus. 150. 194.
Robertus Flud. 14.
Nicolaus Fontanus. 195.
Joan.

Joan. Fragoſus. 332.
Francio Pariſienſis. 274.
Wolfgangus Franzius. 244.
Leonardus Fuchſius. 364.
Henricus Fuiren. 290.
Thomas Fuiren. 54.
Theodorus Fuiren. 28.
Hieron. Gabucinius. 295.
Galenus. 7. 38. 82. 135. 245. 279. 294. 295. 296. 323. explicatus. 332. 337. 338. 339. 340. 356. 357.
Pagan. Gaudentius. 9. 213.
Theodorus Gaza. 43. 73.
Geneſis. 209.
Geographia MS. Anonymi. 157. 158. emendata. 159. 162. 165. 168. expenditur. 180. 203. 211. 215. 216. 235. 242. 243.
Conradus Geſnerus. 67. 272. 372. 375. 378.
Jo. Caſper. Gevartius. 280.
Gloſſa. 178.
Gloſſa vetus. 69.
Damianus à Goes. 181.
Leonicus Goldionus 254.
Abraham Golniz. 251.
Gauges de Gozze. 215.
Saxo Grammaticus. 305. 307.
Melchior à Gratia. 170.
Greg. Nyſſænus. 186.
Gregorius Papa. 271.
Mauritius de Greg. 308.
Jacobus Gretzerus. 188.
Antonius Grimanus. 324.
Gregorius Gualterus. 361.
Petrus Gyllius. 234.
Jo. Fr. Habela. 19. 371.
Dionyſius Halicarnaſſeus. 148. 314.
Heliodorus Hiſt. 273.
Heliodorus MS. explicatus. 7
Herodotus. 9. 74. 76. 89. 95. 139. 140. 186. 212. 221. 225. 226. 227. 359.
Heron. 247. 324. MS.
Abramus Hertogh. 358.
Heſychius. 58. 66. 67. 75. 137. 316.
D. Hieronymus. 30. 74. 79. 179. 182. 208. 346.
G. Fabr. Hildanus. 2. 4.
Hippocrates. 82. 334.
Hiſtoire naturelle de l'Iſle Antilles. 108.
Hiſtoriæ Mexicanæ Auctor. MS. 103.
Philippus Hoechſtetterus. 287. 298. 302. 367. 379.
Hieremias Hoelzlin. 227.
Caſpar Hofman. 31.
Jacobus Hollerius. 328.
Holwel. 263. 294.
Lucas Holſtenius. 109. 216.
Homerus. 59. 149. 155. 223. 226. 227. 305. 307.
Homeri interpres. 305.
Horatius. 21. 24. 315. 336. 345. 360.
Joannes van Horn. 28.
Greg. Horſtius. 354.
Garcias ab Horto. 157. 166. 173. 179. 202. 203. 221. 287. 364. 366.
Horus Apollo. 66. 69. 74. 83. MS. 84. exponitur. 84. tangitur. 86. tentatus. 89.
Hug. Cardinalis. 349.
R. Jacob. 239.
Jeſuitæ autographum in Bibliotheca Eſcuriali. 55.
Ferrantes Imperatus. 53. 55. 107. 173. 365. 367. 373. 375.
Franciſcus Imperatus. 367.
Joan. Philip. Ingraſſias. 8. 14.
R 31.

31. 38. 40. 364.
Innocentius Papa. 193.
Interpres Albucaſis. 6.
Heliodori. 7.
Homeri. 305.
Juvenalis. 74.
Perſii. 98.
Jobus. 30. 181.
Joan. Jonſtonus. 46. 171. 221. 248.
Thomas Jordanus. 288. 289. 354.
Jornandes. 22. 23. 24.
Joſephus. 96.
Paulus Jovius. 19.
Irenæus 188. 189. 190.
Iſidorus. 72. 99. 112. 128. 136. notatur. 144 145. 156. 159. MS. emendatus. 176. 193. 198. correctus. 246. 271. 296. 319.
Juba. 359.
R. Juda. 133. 160. 238.
Hadrian. Junius. 165. 330.
Julius Juſtinianus. 263.
Juſtinus. 210.
Juvenalis 27. expoſitus. 74. 79. 85. 141. 227. 307. 341. 362.
L. Juvencus. 87.
R. Kimchi. 29.
Athanaſ. Kircher. 182.
Henricus Kornmannus. 273.
Albertus Kyperus. 303.
Firmianus Lactantius. 223.
Andreas Lacuna. 366.
Lanfrancus. 31.
Joannes Langius. 24. 269.
Petrus Lanſſelius. 188.
Scribon. Largus. 44. 328. 329. 356.
Jo. Franc. Lauredanus. 274.
Joan. de Lazara. 235.
Martinus Lemovicenus, 22.
Paulus Lentulus. 4.
Leo. 11.
R. Leo Mutinenſis. 160.
Andreas Libavius. 376.
Fortunius Licetus 24. 83. 321.
Juſtus Lipſius. 9. 184.
T. Livius. 10 94. 148. 315.
Lucan. 43. 193. 227. 279.
Lucianus. 227.
Lucillius. 136.
Lucretius. 351.
Conradus Lycoſthenes. 2.
Nicolaus de Lyra. 179.
Macrobius. 95.
Albertus Magnus. 57. 99. 240. 246. 248. 254. 271. 357. 375.
Olaus Magnus. 102. 111. 144. 145 147. 305.
Michaël Maierus. 227.
Malmesburienſis. 307.
Manilius. 98.
Jo. Bapt. Mantuanus. 362.
Paulus Manutius. 80. 125.
Hieron. Maraſiotus. 344.
Ammianus Marcellinus. 351.
Andreas Marinus. 45. 110. 139. 143. 151. 152. 167. 241. 244. 251. 252. 253. 254. 275. 277. 284. 285. 286. 292. 293. 296. 316.
Valer. Martialis. 79. 149. 157. 165 181. 312. 330. emendatus 332. 351. 360. explicatus.
Juſtinus Martyr. 188. 189.
Jacobus Matthias. 149. 262.
Valer. Maximus. 10. 15.
Gerardus Mercator. 117.
Michaël Mercatus. 49.
Hieronymus Mercurialis. 230. 287. 310.
Petrus Meſſias. 39.
Joan. Thomas Minadous. 16. 36. 325.

Fran-

Franciſcus Modius. 17.
Petrus Molinæus. 186.
Daniel Monachus 22.
Nicolaus Monardes. 173.
Dominicus Monthesaurus. 141.
Hieronymus Montuus 39.
Moſes. 26.
Henricus Mullerus. 266. 303.
Sebaſtianus Munſterus. 181. 240.
Joannes Nardius. 278.
Nazianzenus. 185.
Antonius Nebriſſenſis. 11.
Nemeſianus. 313.
Joan. Euſebius. Nierenbergius. 56. 152.
Coſmus Nigronius. 105.
Bartholdus Nihuſius. 195.
Auguſtinus Niphus notatur, 81. 137.
Numeri. 178.
Olympiodorus. 352.
Oppianus. 119 128.
Oribaſius. 322. 323.
Andreas Oſiander. 30.
Ovidius. 41. 315. 346. 362.
Pacuvius. 319.
Sanctes Pagninus. 181.
Palæphatus Gr. MS. 342.
Julius Palmarius. 291.
Guidus Pancirolus. 27.
Carolus Panicellus. 296.
Theophraſtus Paracelſus. 273. 289.
Ambroſius Pareus. 2.
Velleius Paterculus. 344.
Paulus apud Feſtum. 136.
Marcus Paulus Venetus. 168. 199. 249.
Fr. Perla. 207.
Perſius. 9.
Perſii Interpres. 98.
Franciſc. Petrarcha. 259. 270.
Petronius. 87.
Philipp. Phaſinianus. 343.
Guil. Philander. 310.
Philes. 134. 145. 147. 197. 234. 258. 270. 272. 293. 298. 305.
Philoſtratus. 214. 225. 229. 293. 298.
Photius. 99.
Valer. Pierius. 89.
Laurentius Pignorius. 9. 22. 77. 89. 90. 346.
Pindarus. 150. 252.
Plato. 97. 149. 223.
Plautus. 19. 167. 186. 350.
Franciſcus Plazzonus. 16.
Plinius maior exponitur. 10. 18. 32. 43. 53. 67. 68. explicatur 69. 70. 72. 73. 74. 75. 80. emendatus 81. 82. 93. 95 96. 97. 98. 99. exponitur 100. 101. 102. 103. 119. MS. 125. 126. tentatus. 127. 128. 129. tangitur. 130. 133. error ejus, 135. 136. 138. 143. 145. 146. 153. 155. 161. 165. 167. 197. 206. 210. 215. 225. 226. 228. 229. 234. 240. 241. 242. 243. 244. 246. 247. 249. 250. 268. 277. 278. 279. 281. 282. 283. 290. 294. 297. 305. 319. 321. 340. 350. 351. 355. 356. 359. 360. 363. 365. notatur. 366. 372. 375. 377.
Plinius Valerianus. 43. 295. 329.
Plutarchus. 69. 74. 89. 93. 97. 278. 306.
Poëta Græcus. 100.

Trebellius Pollio. 150. 227.
Jul. Pollux. 316.
Franc. Pona. 173. 253. 260.
Ferdinand. Ponzettus. 284.
Antonius Popma. 150.
Porphyrius. 94.
Emmanuel Portus. 209.
Petrus Poterius. 380.
Ludovicus Pouchius. 14.
Joannes Prevotius. 16.
Jacobus Primeroſius. 111.
Priſcianus Cæſarienſis. 43.
Theodorus Priſcianus. 329.
Priſcus. 22?
Joannes Dominicus Proſimus. 369.
Ptolemæus. 97.
Theodorus Pulmanus. 80.
Purcaſſius. 117.
Caſſianus à Puteo. 56. 68. 312. 369. 376.
Erycius Puteanus. 77.
Pythagoras. 223.
Fab. Quintilianus. 215. 223. 227.
Rab. Ravaſcè. 160.
Rab. Ravena. 160.
Rabbini. 208. 209. 238. 348.
Rabbini Talmudici. 132. 160. 208. 274. 349.
Raſſius. 367.
Leonard Rauchwolf 202.
Regum libb. 349.
Relationes MS. 171.
Joan. Renodeus. 2. 103. notatus 251. 291. 354.
Beatus Rhenanus. 195.
Cælius Rhodiginus. 27.
Joan Rhodius. 16 18. 22. 27. 147. 247. 322. 333. 348 362.
Nicolaus Rigaltius. 33. 305.
Ludovicus Romanus. 103.
Petrus Romeius. 350.
Janus Rutgerſius. 85.
Rutilius Numatianus. 352.
Emanuel Sà. 74.
Joan. Dominicus Sala. 372.
Claud. Salmaſius. 10. 66. 68. 76. 84. 126 127. 146. 156. 243. 316. 330. 351.
Henricus Salmuth. 27.
R. Salomon. 29. 30.
Gaſpar Salvianus. 21.
Joan. Sambucus. 320. 333.
Samuel. 346. 348 349.
Franciſcus Sanſovinus. 255.
Hercules Saxonia. 294.
Alex. Sboroſcky. 350.
Durantes Scacchius. 334.
Joſephus Scaliger 185. 188.
Julius Scaliger. 12. 31. 45. 52. 57. 67. 73. 102. 130. 131. 138. 146. 241. 369. 375.
Fortunatus Schacchius. 352.
Marius Schipanus. 49.
Petrus Schulcius. 222.
Scribonius Largus. 44.
Thorlacus Scutonius. 120.
Scylax Caryandenſis. 362.
Petrus de la Sena. 92.
Seneca Philoſophus. 150.
Seneca Tragicus. 150.
Daniel Sennertus. 57. 227. 371.
Ludovicus Septalius. 364.
Joannes Serapio. 58.
Marius Servius Honoratus. 215.
Petrus Servius. 215.
M. Aurel. Severinus. 3. 35. 296. 332. 334.
Diodorus Siculus 97.
Silius Italicus. 17. emendatus. 18. 186.
Joſias Simlerus. 213.
Julius Solinus. 43. 93. 97. 126. 128. 129. 145. 147. 153.

151. 155. 164. 168 170. 197. 198. 206. 221. 240. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 268. 278. 280 351.
Ælius Spartianus. 361.
Joan. Bapt. Spontonus. 173.
Statius Papinianus. 280.
Eraſmus Stella. 129.
Franciſcus Stelluius. 376.
Henricus Stephanus. 139. 142. 228.
Auguſt. Steuchus. 27.
Strabo. 95 153 196. 207. 214.
Jacobus de Strada. 12
Guilielmus Stuckius. 325.
Snorro Sturlæſon. 257.
Joannes Baptiſta Suarez. 214.
Suetonius. 10. 155. 181.
Suidas. 88 92. 213.
Æneas Sylvius. 199.
Symmachus. 292.
Tacitus. 206. 207. 227. 229. 278. 353. 362.
Talmud Bauli. 160.
Than Chuma. 178.
Alexander Taſſonus. 21.
Achilles Tatius. 273.
Tertullianus. 183. 193. 195. emendatus.
Theodoretus. 307.
Theodoricus. 31.
Theophraſtus Ereſius. 340.
Thomas Magiſter MS. 88.
Jac. Aug. Thuanus. 2. 370.
Tibullus. 150. 361.
Robertus Titius. 313. 314.
Jacobus Philippus Tomaſinus. 170. 290. 369.
Nicolaus Tulpius. 266. 325.
Adrian. Turnebus. 10.
Gregorius Turonenſis. 185.
M. Varro. 119. 145. 150. 155. 281. 315. 354. 355.
Ludovicus Vartheman. 28. 131. 138. 197. 199. 200. 240. 241. 242. 246. 248. 250. 268. 269. 270.
P. Vegetius. 297. 320. 326. 328. 329. 333. 335.
Joan. Veslingius. 4. 34. 64. 207. 288. 290. 297.
Aurelius Victor. 94.
Æneas Vicus. 344.
Vidus Vidius. 334.
Angelicus Aproſius Vintimiglia. 12.
Virgilius. 101. 149. 193. 223. 279.
Polydorus Virgilius. 24.
Vitruvius. 246. 280. 310.
Raphael Volaterranus. 24.
Joannes Georgius Volcamerus. 208.
Gerard Joan Voſſius. 90.
Iſaacus Voſſius. 362.
Ludovicus Urreta. 204.
Sertorius Urſatus. 281. 313.
Fulvius Urſinus. 17. 344.
Emanuel Urſtiſius. 2.
Joan Jacobus Wecherus. 357.
Georg. Weinrichius. 2.
Jacobus Wemmers. 161.
Hugo Willibuy. 117.
Olaus Wormius. 22. 45. 46. 53. 56. 104. 107. 111. 112. 119. 120. 122. 149. 153. 171. 173. 261. 300. 302. 306. 308. 341. 344. 365. 368.
Wilhelmus Wormius. 122.
Xenophon. 308.
Zacutus Luſitanus. 3. 15. 34. 41.
Joan. Baptiſta Zoia. 9. 19. 281.
Joannes Zwelfer. 357. 378.

# INDEX RERUM, & VERBORUM NOTABILIUM.


A.

APro *ns*. 195.
Adami ſacrificium. 132.
*Adoratio*. 101.
Ægyptii Moſen non raro ſequuti. 89.
Aſtronomi. 97.
Ærea vox. 307.
أل *Al* Abraham. 176.
الحرحدن *Alcherchehden*. 177.
Alexander Magnus cornutus. 16. 218.
*Alicorno*. 176.
Amaltheæ cornu. 341. 344.
Ammonis cornu. 365.
Anatomia Pagana autoris. 100.
Anatomicæ obſervationes autoris. 328.
Anni principium. 94. 96. menſura 95.
Antidota venenis reſpondere numero. 296.
Antiquitates Natalitiæ autoris. 146.
Anuli cornei. 319.
Anulus ex ungula rhinocerotis. 174.
Apologia Auctoris de aperto Chriſti latere. 192.
Aries Jovis Ammonii 16.
Armamentarii Veneti ciſterna à veneno libera. 298.
Armillarum uſus apud veteres. 148.
Ἄρξ Ἄρεσι 158.
Arſenicum magis corroſivum quam venenum 286.
Aſini cornuti in Africa, Scythia & Libya. 140.
Aſinini cornu virtus. 143.
Aſini cornu poculis deſtinatum. 147.
Aſinus Indicus. 67.
Aſinus unicornis ſolidipes. 133 134.
Aſpides monocerotes. 63. 64.
Ἀθερυςο 305.
Attilæ cornua. 19. 20.
Aves Monocerotes. 46.
Aurei velleris fabula. 227.
Auri ſonus. 307.
Autoris de Gloſſopetris diſſertatio. 372.
Ἄχερα Ἄχυμα 169.

B.

BAlſami Orientalis vis. 297.
Balſami raritas. 207.
De Balſamo controverſia Romæ nata. 207.
*Bara*. 176.
Franc. Barberini unicornu. 255.
Sceleton draconis. 50.
*Bar Karan*, unicornu. 177.
Baſiliſcus Romæ viſus, 50 51.
Itemque Monſpelii. 52.
Beluæ marinæ cranium. 121. 122.


Bibli-

Bibliotheca Medicea. 7. 211. 216.
Bizontes unicornes. 129. ab Uris & Bubalis diverſi. *ibid.* in Boruſſia. 130.
Bos Ægyptius. 155.
Bos quodvis animal ingens. 155.
Bos unicornis. 125. Æthiopicus, ac Indicus. 127. ruffus. 131.
Βοῦ 58. 155.
Boves Lucani 155.
Bovis cornu tres amphoras capiens. 130.
Bovis unicornis cornu 131.
Βούλιμος 58.
Βουφάγος 58.
Βούβρωσις 58.
Βοῶπις 59.
*Bubalus* 74.
Bucampe cornuta. 58. 63.

C.

CAdavera Ægyptiorum erecta. 186.
Calor, ut cauſa cornu. 40.
Canicula inſana 98.
Caniculæ orientis præſagium. 93.
Caponum cornu. 49.
Capræ ephippiatæ. 85.
Cauteriorum pilula cornea. 334.
Julius Celſus in antiquis codicibus. 129.
Cerasti ſudor. 283.
Ceratos. 351.
Cervini cornu virtus. 253. Serpentibus adverſum. 354.
Cervi volantes. 52.
CHRISTI Crux. 183. ejuſque forma. 184.
CHRISTIANI V. poculum aureum. 149.
Circulator Romanus taxatur. 291.
Cithara cornuta. 77. 78.
Citharæ cubiti. 76.
Cleopatræ vipera. 64.
Colicus dolor epidemius. 356.
Columna roſtrata. 215.
Columnæ Herculis. 212. variæ. 214.
Columnæ Trajani, & Antonini. 215.
Columnarum uſus. 212.
Comitialis morbi remedium monoceros. 264.
Concha 340. menſura.
Conchylia petrificata. 371.
*Cornetto*. 325.
Cornicula 8. 9.
Cornicularii. 11. Corniculi. *ibid.*
Cornifica forma. 40.
Cornu bubulum. 295.
Cornu caprini vis. 297.
Cornu cervinum Ambiani ingens. 249.
Cornu cervini efficacia. 291.
Cornu cervini præparatio ſingularis. 357.
Cornificia familia. 17.
Cornu foſſile. 374. præparatum. 378.
Cornu propriè durum. 41.
Cornu quid Juvenali. 27.
Cornu renatum. 34.
*Cornus. Cornu.* 43.
Annæus Stoicus quare Cornutus. 9.
Cornu veterinariorum. 226.
Cornuum materia. 36. 38. Cauſæ. 38.

Cornuum uſus. 42.
Corvinorum Pharmacopolium Romæ. 170.
Cornua inaurata. 149.
Cornua ovilla. 295.
Cornua non ſunt partes. 36.
Cornua partium diverſarum. 12. 14.
Cornua ſtemmatum. 21.
Crater cornutus. 10.
Cubitus ξυλοκερτικὸς 248.
Cucurbitulæ Ægyptiorum. 325.
Cucurbitulæ corneæ. 322. 323.324. fictiles ligneæ. 325.
Currus eburneus. 362.
Cyppus cornutus. 39.
D.
In Dania Scarabæi cornuti. 53.
Danorum cum Indis commericum. 46. cum Groenlandis. 109.
Dentis marini deſcriptio. 123.
Deorum ſimulacra eburnea. 363.
Didonis vultus. 11.
Dionyſiſci. 7.
Dorſi cornu quibus curatum. 34.
Draco volans. 50.
E.
EBullitio unicornu. 284.
Ebur cornu. 359. pretioſum. 360. magnificentiæ ſymbolum. 362. ei lex poſita. *ibid.*
Ebur Foſſile triplex. 367.
Elephantini dentis uſus. 364.
Elephas olim bos nominatus. 155.
Rhinoceroti ſuccumbit. 181.
Equi monocerotes. 151.
Eruca cornuta. 58.
*Evocari*. 314.
Exoſtoſis unde. 38.
F.
FAbularum apud veteres uſus. 223.
Fibula eburnea. 362.
Fœtus petrefactus. 370.
Foſſile carnis ſpecie. 375.
Fritillus veterum corneus. 341.
Frons pro ore. 112.
Frontis humanæ cornua apud Albucaſim. 6.
G.
GAlea antiqua. 21.
Galli Indici neutiquam meleagrides. 49.
Galli unicornes ac bicornes arte. 48.
Gandæ. 157.
Gazella non eſt oryx. 67. in Melita inſula. 68.
Gazellæ cornua. 68.
Goyame. 204.
Antonii Grimani bibliotheca. 324.
Groenlandia Daniæ paret. 104.
H.
HEgira. 96.
Herculis columnæ. 212. 214.
Hipponium Calabriæ. 344.
Homines Monocerotes. 2.
Homini natura negavit cornua. 32.
Hominis cornu morbus & monſtrum. 31. ſymptoma formæ. 32.
*Horn*. 160.
I, Jan-

I.

Janthinæ. 208.
Japonum crucifixio. 185.
Jehovæ nomen cum *Al.* 177.
Illeiſ. 103.
Imaginatio cornuum cauſa. 39.
Imprecatio ex canibus. 92.
Inſcriptio vetus. 8. 73. 280. 281. 361.
Joſephi tribus in labaro ſignum. 209.
Joſuæ ſcutum. 209.
Iſis. 89.
Juncturæ cornua. 40.

K.

Καθίσειν. 84.
قرن Corn. 177.
ቀርኑ ፡ አሐዱ.
Ahadu Karnu, Monoceros Æthiopicè. 161.
Καρτάζωνος 176.
Κατάρσια 88.

L.

*Alla.* 146.
Lapidis ſonus. 307.
Lenticula. 346. 347. vas.
Libri ebore tecti. 362.
*Licornia.* 176.
Lignum foſſile Umbriæ. 376.
ליליה Lilith Hebræorum. 290.
Linguæ ſerpentinæ ſudor. 283.
Locuſtæ volatiles cornutæ. 65.
Lothi uxoris metamorphoſis. 371.
De Luce Animantium liber autoris. 30. 245.
Lucerna capite cornuto. 19.
Luminoſa cornuta. 29.
Luna cornuta. 29. 194. grata. 87.
Lunæ montes. 204.

M.

Mahometis fuga Arabum æra. 96.
Mamelikia, vipera. 64.
Manna quid. 278.
Matula cornea. 312.
Meleagrides veræ. 49.
Menſura cornea. 335. ejus capacitas. 337.
Michaëlis Imperatoris Conſtantinopolitani poculum ex onagri cornu. 147.
Mileſii Scriptores. 273.
Monoceros propriè. 175. ejus. etymon. 176. viſu rarus. 179 204. 205. 234. ejus Sententia Allegorica. 181. deſcribitur. 200. 216. 237. Amphibion. 202. cornua deponit. 204. Africanus. 217. Mechenſis. 242.
Monoceros ſilveſtris. 138.
Monoceros Trajecti. 256. Helvetorum. 258. Antverpiæ Mantuæ. Item in Polonia. 260. In theſauro Reg. Daniæ. 261. Ferus ac indomitus. 268. Interdum mitis. 270.
Moncerotis columnæ æreæ. 211. 214.
Monocerotis ſaltus. 216. diverſitas. 231. cornua varia. 232. Cornu. 238. 243. 246. magnitudo. 238. vera. 251. pedes. 240. cauda. 242. Cornu S. Dionyſii. 250. pondus. 251.
Cornu

Cornu Venetum. 253. 254.
Color diverſus. 254.
Monteleone, Valentiæ Calabriæ. 344.
Monumentum vetus. 8.
Moſis cornua. 26. 27. ſtatua Melitenſis. 28.
Mulier cornuta. 4. 5.
Muſeum Wormianum. 47. 120. 365.

N.

N*Aer*. 160.
*Narhual*. 109. 116. 118.
Niſan. 94.
Niſa. 210.
Nummi provincias referunt. 18.
Nummus antiquus. 12. 13. 18. 26. 345. Alexandri dubius. 210.

O.

ONagri virtus. 143. ab Alce diſcrimen. 144. uſus in menſis. 146. 147.
Opobalſamum. 277.
Oryges Romanis rariores. 77. in deliciis menſæ. 79. ſacrificiis adhibiti. 89. ſignati anulis. 89.
Orygis etymon. 65. natale ſolum. 74. magnitudo *ibid*. cornu. 75. malitia 91.
Oryx capra. 67. priſcis. 73. à ſubulone diſcrepat. 70. ſeſſorem fert. 86. caniculæ ortum præſagit. 92. & cur 98.
Oſiris. 89.
l'*Oſſo* Siculis cornu. 312.

P.

PAnis ſtatua. 313.
Pedis Ro. Menſura. 247.
πῆγμα & ἐξέχον πῆγμα 188.
*Pelbis* pro Pelvis. 361.
Penu corneum. 341.
Petechris remedium cornu bovis unicornis. 132.
ⲫⲁⲡⲓⲧⲁⲡⲛ̀ⲟⲩⲱⲧ
Monoceros. 182.
Phœnix rarior. 205.
Phrygiorum tibiæ corneæ. 315.
ⲡⲓⲭⲁⲣⲕⲓⲛⲟⲥ.
Rhinoceros cophtis. 182.
Pilulæ Ducis Mantuani ad febrem malignam. 173.
Piſana technicotheca. 368. 373.
Piſces cornuti. 102. 106.
Piſcis monoceros rubri maris. 105. Imperati alius examinatur. 107.
ⲡⲓⲧⲁⲡ cornu. 182.
Pocula cornea. 304. 303.
Poculorum adverſus venena vis adſeritur. 318.
Poculorum circuli. 148.
Poculum ex cornu Rhinocerotis. 172.
Præſagium auferendi cornu. 33.
Pſalmorum verſio Æthiopica. 161.
Ptolomæi Tabulæ. 97.
Puer petrificatus. 371.

Q.

QUadrupedibus cornua ſunt propria. 43.
Quatrio. 137. talus.
Quinta eſſentia monocerotis. 174.

Ra-

R.

RAdiolus corneus Abenſinæ. 332.
ראם *Reem*. 178.
Rhinoceros priſcis bos. 155. animal herbaticum. 168.
Rhinoceros viſus. 179.
Rhinocerotis cornu ad petechias. 132.
Rhinocerotis cornu loco monocerotis. 291.
Rhinocerotis etymon. 156. cornua. 161. mobilia. 164. bina. 162. 235. cutis. 165. pellis Franciſco Gall. Regi exhibita. 167. uſus medicus *ibid.* cornu. 169. 170. 171. lingua aſperrima. 168. cornu Romæ & Florentiæ. 170. itemque Mantuæ. *ibid.* dens Meſſanæ. 172. ungula. 172. ſigna. 175. figura. 235.
Rhinocerotis ſignificatio Allegorica. 179. 180.
רים *Rijm*, unicornu. 177.
Rhythium. 330. 331.
Romani non penetrarunt in Indiam. 234.

S.

SAmſon taxatur. 274.
Scarabæus monoceros. 52. 54. ejus uſus. 56. cornutus. 52.
Sceleton lapideum. 370.
*Schroter*. 52.
Solis cultus. 90.
Spinturnix. 137.
*Splendere*. 244.
Statua vetus Harpocratis. 19. Satyri. 313.
Sternuentibus veteres benè ominati. 100.
Sternutamentum Orygis. 99.
Subulo Plinii. 68. 70.
Sudor ſtatuarum. 278.
Sudor verus. 279.
Suppedaneum S. Crucis 184. 187. 193.
Syrii effectus. 98.

T.

T & Γ permutantur. 137.
Tabula vetus. 17.
Tali etymon. 137. 138. Significatio duplex. 138.
Tali in humano corpore adſeruntur. 135.
Tauri Indici cornu. 164.
Terra Melitenſis. 285.
Topau Indica avis. 45. deſcribitur.
τῦ Græcorum. 177.
Triclinium Romanum. 309. 310.
Troianum excidium fictum. 226.
Tubi aquæductus diverſi. 280. 281.
*Turtur*. 137. Τρυγὸς. *ibid.*

V.

VAcca cornibus cervinis. 131.
Vaſa cornea. 340.
Venetæ ſponſæ cornutæ. 11. 28.
Vermis cornutus. 57.
Verrucæ. 14. 31. 32.
*Vhroxen*. 129.
Vipera cornuta. 63. 64. ex Iſtria in montes Euganios traducta. 64.
Vitium. 32.
Vitrum foſſile. 375.

Un-

Ungula. 320.
*Unguli*. 321.
Ungulus, anulus. 319.
Unicornu crucis. 188.
Unicornu foſſile. 365. bullis. 285. Caſſiani Putei. 376.
Unicornu Groenlandicum verius dens. 112. laudatum. 124. vera unicornu ſigna. 275. ex unicornu remedium univerſale negatur. 296.
Unicornu ſuccedaneæ. 353. 364.
Unionum raritas. 206.

Z.

Zeila urbs Æthiopiæ. 131.

110973

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ SELECTIORES

*Collegii privati Amſteloda-menſis.*

Figuris aliquot illuſtratæ.

AMSTELODAMI,
Apud *Caſparum Commelinum*,
M. DC. LXVII.

VIRIS
EXCELENTISSIMIS
*Experientia & Doctrina Clariſſimis*
*Medicinæ Doctoribus*
*Celeberrimis*

D. GERARDO LEON. BLASIO,
Medicinæ in Gymnaſio Amſtelredamenſi Profeſſori Ordinario.

D. MATTHÆO SLADO,
Noſocomii publici Amſtel. Medico.

D. EGBERTO VEEN,
Illuſtris Collegii Archithalaſſici Amſtelodam. Medico

D. MARCO RUYCH, nunc apud *Goeſanos* Medico.

D. ABRAHAMO QUINA,

D. PETRO BODDENS,
Practicis Amſtelodamenſibus.

D. JOACHIMO CORDES,
in Inclyta Republ. Lubecenſi patria Practico.

VIRIS

ibidem

Clariſſimis, Doctiſſimiſque

D. JOANNI SWAMMERDAM, *Amſtelod.* Doctorando digniſſimo.

D. DANIELI GODTKE, *Dantiſcano,* Medicinæ cultori ſolertiſſimo.

D.D.D. Euergetis, Fautoribus, ac amicis, omni honoris cultu venerandis

*Hæc*

Quæ mutuo labore atque induſtria, in Collegio anatomico privato, obſervarunt & annotarunt, jure meritoque

*Dicat*

CASP. COMELIN.

# ANNOTATA ANATOMICA.

## *In Capite Vitulino.*

1664. 14. *Novembris.*

N*Ates* & *Teſtes* non ſunt corpora ſeparata à thalamis nervorum opticorum, ſed eo uſque ſunt continua. Ut & *ſtriæ* corporum ſtriatorum. Hinc ſuſpicabamur, omne album & medullare Cerebri continuum eſſe.

*Ductus Salivaris Externus* non oriebatur ex multis ramis concurrentibus in unum, ut in figurâ Stenonianâ, ſed ex poſteriori glandulâ oriebatur ex multis ramis unus ductus, in quem ex anterioribus glandulis alii laterales ingrediebantur, vide Fig. 1. ubi

A. *Glandula poſterior.*
B. - - - *anterior.*
c. c. c. c. *ductus ſalivalis.*
d. d. d, d. *laterales.*

*Ductus idem* juxta originem duplicatus, imò triplicatus erat.

*Nigrum Proceſſuum ciliarium* mucoſum erat, faciléque abradi poterat, verùm ſub illo hærebant fibræ nervoſæ duræ.

*Cartilagines Laryngis* preſſæ humorem quoque eructabant, earumque ſuperficies interna quaſi glanduloſa erat.

*In Tunicâ Oculorum, bobus* propriâ manifeſta erant foramina ſetam admittentia, & in glanduloſam ſubſtantiam terminantia.

Singulæ glandulæ, ex quibus Maxillaris conglomerata componitur, in ſe habebant deſinentem ductum, qui omnes rami congregati unum magnum ductum Salivalem conſtituebant.

## In Capite vitulino.

1666. xj. Januarii.

*Fibræ* notabantur in *Medulla oblongata.*

*Seta* tenuiſsima per foramina duræ matris *in os cribroſum* tranſibat.

In ſinum quartum flatus immiſſus ad plexûs choroïdis vaſa etiam penetrabat, per eundem ſinum ſanguis ope ſiphonis immiſſus, eadem vaſa implebat.

*Vaſa* ab hoc ſinu ad plexum choroïdem tendentia paulatim fiebant minora.

Id quod in *ſpinalis medullæ* medio eſt cinericeum, quo magis ad cerebrum accedit, eo magis à medio medullæ recedit, & in pontem Varolii deſinit.

## *In Vitulâ recens natâ.*

### 1665.

In *vagina Uteri* multum glutinoſæ tenaciſque ſubſtantiæ cryſtallinæ, gelatinæ vulgo dictæ ſimilis hærebat.

In cruris oſsis medio manifeſtum foramen apparebat, ab inferiore parte verſus ſuperiorem vergens, per quod vaſa ſanguinea in medullam manifeſte deducebantur.

In *Aſpera arteria* inter Cartilagines Muſculi parvi videntur. Eadem interius eſt obducta Membranâ, quæ ex fibris rectis

rectis carneis conſtat; à latere vero accedunt tranſverſæ, ad rectas accedentes, & ſub iis delatæ & in eas deſinentes.

Supra Muſculos abdominis rectos *vas* apparebat *venoſum* à pube ad ſternum uſque continuatum.

In ipſo *Uteri* corpore ab orificio interno *Fibræ* quædam rectæ erant, ad longitudinem tranſverſi digiti extenſæ; Has excipiebant innumera tubercula (ex quibus poſtea oriri Cotyledones Veſalius recte putat) convenienti ordine diſpoſita, & in ipſa Cornua ſeſe extendentia. A cornubus ad teſticulos proceſſus erant notabiles inſtar ductuum. Vide Fig. 2. ubi

A *Uteri orificium internum, cujus ſtriæ longæ erant.*
B *Vagina.*
C C. *Cornua.*
o o o *Acetabula ſ. cotyledones.*
D D. *Teſticuli.*
E E. *Ductus à teſticulo ad cornua.*

*In Ca-*

## *In Capite Vitulino Congelato.*

1665. xix. Januar.

Ad finem *ductus ſalivalis* externi in bucca adjacebat quædam glandula conglomerata.

Cerebrum congelatum (erat enim frigus intenſum) egregie monſtrabat *Cerebri poros, fibras* & *filamenta*, ut & ſitum partium debitum.

*Plexus mirabilis* adjacebat oſſi ſphenoïdeo, ubi Thalamus glandulæ pituitariæ.

*Saliva*, ex ductu ſalivali expreſſa, ſubſalſa erat.

*Dura meninx* in principio ſinûs falciformis ſuperioris, ut & circa torcular, erat cartilaginis inſtar craſſa & dura.

*Humores oculorum* congelati ſitum eorum manifeſte demonſtrabant.

*Humor* Criſtallinus erat inſtar ſebi congelati, flammam tamen non concipiebat, ſed induratus à flammâ inſtar Criſtallini cocti piſcium aliquantulum lucebat.

## *In Corde vitulino.*

1665. xij. Novemb.

*Venoſum* quoddam *vas* ſe oſtendebat, quod ſe non exonerabat in venam cavam, verùm juxta arteriam magnam adſcendens, ad latus auriculæ dextræ in cavitatem Cordis dextram deſinebat manifeſte.

## *In vitulo recens nato.*

1665. x. Martii.

*Vena umbilicalis*, patula ſatis, arteriam aliquam æmulabatur.

*Arteriæ umbilicales* fere tertia parte longitudinis adeo erant attenuatæ, ut membranam, aut ad ſummum venam repræſentarent, duabus vero tertiis partibus, quæ ilia ſpectabant, ſatis erant craſſæ, & ſanguinis grumos continebant. Ubi craſſities in tenuitatem mutatur, non fit paulatim mutatio craſſi in tenue, ſed in tantum differt, ut glandulam aliquam referre videatur. Sunt autem hæc in membrana contenta, ita ut primâ fronte non appareat, quid ſint, aut ubi tenuis aut craſsi corporis fiat unio.

*Ura-*

*Vrachus* in horum medio hæret, ſed adeò membranâ involutus, ut primò non ita appareat: patulus autem erat in veſicam, ſtylumque mediocrem admittebat.

*In ventriculis* magna erat humoris ſalſuginoſi copia.

*Vrina* plane erat inſipida. Notant etiam mulieres primam infantis urinam non ita excoreare, uti quidem facit ea, quæ eſt adultorum.

*Bilis* in veſicula erat crocei coloris, & ſaporis ſatis amari.

*Pancreas* valde exiguum.

*Thymus* contra valde magnus.

*In inteſtino jleo* excrementa erant liquida, coloris tamen viridis ſatis intenſi ſaporis primò ſubſalſi, deinde amaricantis, utriusque tamen non valde intenſi.

*In Colo* multi erant flatus, excrementorum tamen contentorum color erat flavus, non valde intenſus; ſapor ad ſalſum accedebat, nullo modo ad amarum. Eodem modo, colore & ſapore excrementa erant in inteſtino Cæco.

## *In Capite Equino.*

1664. xxij. Februar.

Manifeſte apparebat *duram Meningem* cranio firmiter undique adhærere.

Plurimæ & maximæ erat *Caverniculæ* & cavitates in naſi interioribus, cartilaginoſæ multis ſanguineis vaſis conſperſæ.

*Nervi odoratus* ad finem naſi fere extendebantur.

*Glandula Pinealis* & *Plexus choroïdes* erant indurata, quaſi livida & plane morboſa.

*Inter Cerebrum* & *Cerebellum* non tantum oſſiculum ut in Canibus, ſed *Cavitas* peculiaris in uſum cerebelli efformata ex ſubſtantia oſſeâ.

*Fibræ Diaphragmatis* ſæpe decuſſabant ſe invicem.

## *In ventriculo vituli recens nati.*

1665. xix. Novemb.

*Pylorus* hic *Obice* etiam quodam claudebatur, uti in ventriculo porcino annotavi-

cavimus, aſt eum valde brevem reperiebamus, & *Plicæ* circa eum plurimæ aderant.

*Gula* in tres primos ventriculos aperiebatur ſimul, ita tamen, ut ex primo in duos alios daretur tranſitus.

*Primus* Ariſtoteli dictus *μενάλη κοιλ΄α* habebat duos aut tres ſaccos, ſatiſque inſignes.

*Secundus* κεκρύφαλος Ariſtoſteli, **de Huyve** Belgis dictus, Latinis *Reticulum*, minor erat, imo omnium minimus, plicis donatus pluribus, aſt planis magis.

Tertius magnitudinis inter prægreſſos mediæ, **het boeck** noſtratibus, Latinis *Omaſus*, Ariſtol, ἐχῖνος, foliis membranaceis ſibi in vicem impoſitis conſtabat.

*Quartus* maximus erat, cui pylorus junctus, plicis præditus rubicundis (alias in ipſo Ventriculo quæ aderant plicæ, vix erant conſiderabiles) *Abomaſus* vocari ſolet, Ariſtol. Ἤνυςρον.

*Quartum* ventriculum non ingreditur gula, ſed tertius in quartum aperitur, ſicque, non niſi mediante tertio, cibus ex gula in ventriculum quartum deducitur.

*Secundi*, in primo, ingreſſus oblongus eſt, & quaſi rima magna, os quoddam inverſum, aut glottida avium repræſentans.

In ventriculo primo & quarto, qui valde diſtenti erant, continebatur lac, quod vitulus biberat. Secundus & tertius erant vacui, nec diſtenti, quin potius coarctati.

*Fig.* 3. A *Ventriculus primus.*
B *Secundus.*
C *Tertius.*
D *Quartus.*
E *Gula.*

## *In Cuniculo fœmina.*

1666. j. Februar.

*Omentum* exiguum valde ut inteſtina nuda apparerent.

*Vaſa ſanguinea* valde manifeſta.

*Inteſtina* undecies æquabant corporis longitudinem.

*Inteſtinum Cæcum* amplum & longum exiſtebat, ita ut totius corporis longitudinem ſuperaret, Ij ſpithamas longum. Idem intus membranoſâ cochleatâ *Valvula* præditum erat, ab uno extremo ad alterum extenſâ.

*Colon* ligamenta habebat, & cellulas, glandulaſque plurimas. *Rectum* III. ſpithamas longum.

Cellulæ ſæpius uno tantum in latere ſunt. Et earum loco tandem globoſæ cavitates colligendis excrementis aptæ notantur.

Huc ſpectant Fig. 4. 5. & 6. quarum iv. Inteſtina omnia exhibet extrinſecus ſpectata,

A enim *Ventriculum* denotat.

BB *Inteſtina tenuia.*

C *Colon cellulatum.*

D *Idem uno ſui latere cellulis deſtitutum.*

E *Cœcum.*

F *Rectum globulis ſtercus continentibus præditum.*

*Fig.* 5. Inteſtinum coecum exhibet ſeparatum. Ubi

A *Elevata inflata ejus pars.*

B *Valvula membranoſa inſtar Cochleæ id ambiens.*

CC *Ligatura duplex.*

*Fig.* 6. Colon apertum proponit, in quo

A *Connexio Coli cum ileo.*

B *Ligamentum primum.*

C *Se-*

C *Secundum.*

D *Tertium, diſſectum ſecundum longitudinum.*

E *Glandulæ.*

F Albicantia hæc *plicas ſignificant membranaceas.*

G *Nigricantia hæc cellulatas.*

## *In Hepate bubulo.*

1664. viij. Dec.

Ex manifeſta quadam glandula, ad ingreſſum venæ portæ ſita, hepatique annexa, oriebatur vas lymphaticum inſigne ad aliam glandulam, priori minorem, etiam conglobatam, tranſiens.

*Ductus ſingularis bilarius*, calami anſerini magnitudine, veſicam fellis ingreditur, à tergo, ubi ea hepati adhæret. Et *Valvula* ſatis inſignis, qualis ad Coli principium, ad ductus hujus, circa veſicam, orificium apparet. Inveniri facilè poteſt hic ductus, ſi fibras inumeras, quarum ope hepati alligatur veſica, ſeparaveris, ſic enim ſponte ſe exhibet. Hic ductus ex duobus ramis inſigniori-bus colligitur, ſicque dein per duplica-

turam

turam membranarum veſicæ, ureterum inſtar, fertur in veſicam, ubi ſub dictâ valvulâ aperitur. Exteriora ſi ſpectemus, Veſicam ingreditur unius circiter digiti latitudine ab ortu Cervicis; Si interiora, duorum digitorum latitudine. Ita ut unius digiti latitudine feratur intra tunicas Veſicæ. Nota tamen per Cervicem hîc & ductum cyſticum intelligi.

Notabilis & *communicatio* quædam quæ eſt mediante vaſe quodam ſemilunari, inter Cervicem veſicæ, & ductus hepatici Ramum proximum. Erant autem plurima foramina in Cervice, quorum unum hujuscommunicationis initium erat. Ferebatur autem primò, quaſi ambiendo ipſam eervicem, ita ut paulùlum primò deſcendendo, hinc rurſus adſcendendo quaſi ſemicirculum circum Veſicæ cervicem faceret. Vide Fig. 7. ubi

A *Veſica fellis.*

b b b. *Rami ductus bilarii.*

c *Communicatio.*

d *Cervix Veſicæ, & locus communicationis.*

. . . *Foramina in Cervice.*

e *Ductus bilarius ad cyſtin.*

*Rami*

*Rami ductus hepatici* quibuſdam in locis lapidibus erant referti, imò ipſi canales cruſtâ quadam lapideâ obducebantur. Subindè lapideus canaliculus in canali membranoſo hærebat, cujus partem ſervat D. *Quina.*

Aderant etiam in Hepatici ductûs ramis Animalcula quædam, ſeu vermiculi plani, (quos ruſtici *Botjens* à figurâ nominant,) nigris fibris diſtincti, & manifeſto capitulo, cum duobus nigris maculis, oculorum inſtar, & nigrâ quâdam papulâ ad oris locum. Boum morbus eſt, præcipuè tempore contagioſo.

Varias vidimus Vaſorum decuſſationes, ſed nullæ aderant anatomoſes. Singulis conjunctionibus Membrana interjaciebat.

## *In Fele Zibethica Mare ſ. Hyæna odorifera Bellonio malè dicta.*

1665.

*Collum* erat craſſum & muſculis robuſtis præditum.

*Muſculi temporales* totum fere caput cingebant.

Ex medio *cranii* oriebatur *proceſſus* qui-

quidam *oſſeus*, loco ſaturæ ſagittalis & coronalis, eſtque eminentia inſtar criſtæ non diviſæ, in duas autem partes cranium dividebat à naſo incipiens ad ſuturam coronalem deſinens.

*Omentum* duplex, tenue, inſtar retis, paucâ pinguedine præditum, ventriculo arctè adhærens, ſupra omnia inteſtina ad pubem uſque protenſum.

*Hepar* VII. habebat *lobos*.

*Veſicula fellis* continebat multum liquoris, ſed obſcuri.

*Truncus venæ* cavæ deſcendentis ex hepate ſtatim renes attingebat, ut vix ſpatium pro ligatura ſupereſſet.

*Inteſtinum Coecum* æquabat magnitudinem articuli pollicis.

Nulla in *Colo valvula*, præter circulum duriorem.

*Mediaſtinum* in Thorace foraminibus multis inſtar retis præditum.

*Pericardium* parum aquæ continebat.

*Cordis dexter ventriculus & dextra auricula* tumebant ob copiam ſanguinis grumoſi, nigricantis.

*Pulmones* longi, utrinque tribus lobis diſtincti.

*Color* eorum erat ſubruber, multis quaſi nigris filamentis (ut in telis aranearum) præditus.

*Thymus* non aderat, ſed ejus loco fruſtulum pinguedinis.

*Renum* tunica facillime & quaſi ſponte ſeparabatur.

*Color ſanguinis renum* erat fuſcus & ad nigredinem vergens.

*Veſica urinaria* erat parva, & membrana duriori prædita, parum urinæ continens.

*Penis à parte* exteriore erat oſſeus, in medio vaſculi Zibethici collocatus.

*Vaſculum Zibethicum* membranis urethræ alligatum; hoc autem duplex eſt. Datur in unoquoque *Cavitas* quædam quæ continere amigdalam poſſet.

*Piloſum* id eſt & ex multis rugis conflatum.

A parte poſteriore hujus vaſculi multæ dãtur glandulæ conglomeratæ, in quibus ductus, per quos Zibethum fertur.

Hoc tenue, ſaporis amari, odoris gravis, coloris albicantis, poſt paucos dies flaveſcentis.

Pars externa hujus vaſculi continet mul-

multas *veſicas* liquore hoc Zibethico refertas.

*Ductus Bilarius & Pancreaticus* uno eodemque foramine terminantur.

## *In Cygno.*

1665. 2. Februar.

Ad latera pulmonum erant *muſculi* pulmonum proprii, coſtis annexi.

Erant & manifeſta & magna *foramina ex pulmonibus in veſicas aërem* tranſmittentia.

*Veſica fellis* erat grandis pro ratione corporis.

*Ureteres* erant varii, ex Renibus orti, qui in utroque latere in unum ductum conjuncti, ad cloacam ferebantur.

*Os* habent ſpeciale in lingua, ut anates.

*Os hyoïdes* tres habebat Apophyſes.

Non adeſt *epiglottis*, ſed larynx clauditur per muſculos, & per mediam Apophyſin oſſis Hyoïdes attollitur, quod oſſiculum meritò hypoglottida vocare poſſis.

In

## *In Cane Vivo.*

1664. xxix. Octob.

*Diaphragmatis* motus ejuſmodi, qualem D. *Stenonis* F. obſerv. pag. 10. proponit.

*Vena* Cava in Abdominis ſpatio ita videbatur moveri, ut turgendo impleretur, & concidendo, aut potius conſtringendo, depleretur.

*Auricula cordis dextra* ultimo movebatur.

*Diaphragma* carnoſâ ſubſtantiâ undique coſtis adhærebat.

*Nervuli* duo vel tres manifeſti erant ad *Pylorum.*

*Nervi odoratorii* in cane hoc majores erant nervis opticis, & latum fere unguem à proceſſibus papillaribus diſtabant. Factâ inflatione in ventriculum quartum motitabatur glandula pinealis.

In *Renibus* videre erat, quo pacto à pelvi, per glanduloſam ſubſtantiam, uſque in carnoſam renum partem, deduceretur fibræ quædam albæ, per quas ſerum colaretur. Ipſa autē glanduloſa ſubſtantia ſi prematur, nil niſi ſerum emittebat,

tebat, carnoſa vero ſimul ſanguinem.

Egregie videre erat quo pacto *Valvulæ cordis* clauderentur, ſi abſciſſa auricula dextra inflatio fieret cordis per arteriam pulmonalem, ſtatim nempe claudebantur mirabili figura, ſi vero abſciſſâ auriculâ ſiniſtrâ inflatio fieret per arteriam Aortam, valvulæ venæ Pulmonalis ita attollebantur, ut una eſſet ſupra aliam, non uti in ventriculo dextro, ubi eâdem altitudine ad clauſuram iſtam efficiendam coïbant.

## *In Teſtudine terreſtri.*

1665. xxvj. Januarii.

*Scapulas* habebat in pectore.

*Pulmones* in dorſo hærebant.

Membrana cruſtæ affixa loco *cutis* erat.

In *Dorſo* erat ſubſtantia peculiaris oſſea, uti vertebræ. Corpus teſtudinis ipſius ex tegmine cruſta ablato, ferebatur ac flectebatur acſi nullum os adeſſet.

*Hepar* ſatis magnum, & dextrum & ſiniſtrum latus occupans. *Cor* tricuſpe.

*Ventriculus* inſignis, ex parte ſub hepate latens.

## *In Ardea ſtellari, Pictoor.*

1665. v. Januar.

*Lienem* habebat ſatis manifeſtum.

Ex *Renibus Ureteres* utrinque in cloacam pergebant.

*Valvula* una *Cordis* plane erat carnoſa.

Non apparebat ullum *inteſtinum cæcum*.

Nec aderat *veſica fellis*, ſed duo ductus ad inteſtina delati, &, in medio circiter, per intermedium ductum uniti.

*Pylori* circulus erat manifeſtus.

*Ventriculus* erat membranoſus & magnus.

*Trachea* in fine erat membranacea ut in aliis omnibus avibus. Quæ ratio eſt quod in pulmonibus earum coctis ejus continuatio videri nequeat.

## *In Zibetica fele, fæmina.*

1665.

*Uterus* erat triangularis. *Cornua* uteri utrimque altius protenſa, attingebant corpora glandulоſa, teſtes dicta. *Ligamentum* membranoſum, teres, utrim-

trimque à teſtibus ad adipoſam renum tunicam adſcendebat.

*Os vulvæ* prima fronte quadrangulare videbatur, ſed erat oblongius, latebat ſub oſculo *vaſculi Zibethici*. Hoc vaſculum nihil a maſculino differebat.

## *In Ventriculo porcino.*

1665. xvij. & xviij. Novemb.

Membrama *intima* plicis plurimis gaudet, quibus aliæ omnes deſtituuntur.

*Extima*, quæ à Peritonæo dicitur eſſe, ſeparabilis eſt à *ſecunda*, quæ carnoſa, ſic ut non malè pro muſculo haberi poſſit.

*Fibræ* hujus, tendinibus ſuis, varie unitis, Membranæ extimæ adhærent, & in eam deſinunt.

Inter hanc & intimam, quæ vulgo pro tertia habetur, intercedit *alia* tenuis, ab aliis ſeparabilis, per quam vaſa copioſe (quæ ſubinde ad intimam etiam penetrant, quam varie itidem perreptant,) diſtribuuntur.

*Interna* alba eſt, nervea, denſior, ſubſtantiâ rubrâ, firmiter tunicæ juncta, incruſtata.

Notabilis hæc *ſubſtantia* ad fundum minus circa orificia. Color autem, qui ad pylorum eſt, ſuperat eum qui ad ſtomachum.

Membrana hæc nervea *Cruſta ſua* adhuc prædita, cum manibus laceratur duplici ex ſubſtantia conſtare deprehenditur; *una* quæ cavum ventriculi reſpicit, & *glanduloſa* magis; *altera* quæ ſpectat exteriora ventriculi & magis *nervea*. Fibræ hæ glanduloſæ ſi premantur, liquorem emittunt in ventriculum.

Quod ſi ſubſtantia hæc duplex, tunicam intimam conſtituens, conſideretur; pannum heteromallon, (Belgis Felp of Trijp dictum) referre videtur. Videatur Fig. 9. in qua

A *Subſtantia eſt nervoſa.*

B *Cruſta carnea.*

C *Fibræ ſpongioſæ.*

.... *Foramina fibrarum dictarum per quæ, preſſis fibris, liquor in ventriculum exit.*

*Tunica intima gulæ*, Ventriculi cavitatem ingreſſa, ad duorum digitorum latitudinem, in circumferentia ſeſe extendit, connexa ſubjectæ tunicæ ventriculi. Vide Fig. 8. in qua HHH.

HHH. *Tres communiores Tunicæ ventriculi hic quaſi ſeparatim delineatæ.*

KK. *Gulæ tunica interior, in ventriculo finem ſumens.*

.... *Cruſtam ventriculi deſignat, quò tunicæ præcedentis cum ea conjunctio melius oſtendatur.*

Ad Pylorum *obex quidam* adjacet, ſubſtantiæ ſcilicet ferè carneæ, pollicis tranſverſi habens longitudinem, digitī minimi latitudinem, continuatus tunicæ ventriculi modo nominatæ; ſic tamen, ut hæc nerveâ tegeretur, quam & cruſta carnea incruſtabat. Fibræ quæ hîc adſunt, rectæ ſunt, cruſtâ carneâ quoque obductæ; à baſi infimâ ad mucronem (qui a tunicis ſubjectis liber eſt, quo melius pylorum obturare poſſit) ſe extendentes.

## *In Rene Porcino.*

1665. xviij. Novemb.

*Carunculæ papillares* valdè hic notabiles ſunt, numero æque ac magnitudine.

In carunculis hiſce foramina plurima adſunt, pelvim reſpicientia & ſerum emittentia. Vide Fig. 10. in quâ

a a a a. *Superficies renis aperta.*

b b b b. *Pelvis aperta, ubi per foramina quædam prominebant Carunculæ* c c c. *Notatæ.*

d d. *Ureter per medium diſſectus.*

e e e e. *Similes carunculæ diſſectæ.*

## *Renes Ovilli.*

1664. x. Novemb.

Anatome commodiſſimè inſtituitur, ſi in ſimâ parte per renis longitudinem fiat.

*Arteriæ & venæ Emulgentes* ad extimam renum ſuperficiem feruntur, quod facillimè humore colorato injecto cognoſcitur.

Eædem *tunicam* habent *communem*, in quâ velut communi capſulâ includuntur, à pelvi mutuatam.

Eousque etiam feruntur *Fibrillæ* ſuperius carneæ, inferius albæ, qua preſſæ ſerum exhibent ſalſum, ſimiliter ac Carunculæ papillares in bobus.

Hæ etiam fibræ colorantur ab injectâ

aquâ coloratâ, per vaſa emulgentia. Vide Fig. 11. ubi

a a. *Superficies externa diſſecta.*

b b. *Locus ureterum.*

c c c. *Carunculæ per pelvim transparentes.*

d d. *Conjunctio caruncularum ubi ſtylus poterat ſubmitti & moveri.*

e e. *Carunculæ diſſecta.*

Fig. 12. Equinum Renem cum vaſis exprimit.

Fig. 13. & 14. Renum exhibet *Cuniculi diſſectum.*

Fig. 15. *Papillarem renis caruncnlam foraminulentam.*

## *In Ranis.*

1665. xx. Octob.

Si cor *ranæ viventis* vento infletur (quod fit ſi venæ hypogaſtricæ tubulus immittatur) & dein ligetur ſupra auriculas, cor ſe conſtringit, & ſanguis in auriculas fertur, dein rurſus ex auriculis in ventriculos, & ſic viciſſim, idque longo tempore, cum jam ex corpore ſeparatum eſt cor.

Si verò infra auriculas ligetur, equi-

dem movetur Cor conſtringendo & dilatando.

Spinalis medulla immiſſo per caput ſtylo ſi irritetur, contrahuntur artus.

In thorace aut abdomine ſi ligetur *Nervus* ad artus pergens, hinc ſupra ligaturam fiat cultro irritatio, nullus in ea parte, ad quam nervus iſte tendit, percipitur motus, ſi verò infra eam, quam validiſſime per nervum eum recipiens ſe contrahit.

Manet hoc experimentum, ſi per medium tranſverſum diſſectum ſit corpus ranæ.

Si cor, factâ ad jugulũ (ubi ſitum eſt) apertione exſcindatur & ſic rana aquæ imponatur, diu in ea ſupervivet.

## *In Moloſſo.*

1665. xxiij. Novemb.

*Lymphæ ductus* in ſiniſtri colli latere deſcendunt uſque ad diviſuram venæ jugularis ab axillari, ubi in unum quaſi alveum colliguntur, in hunc autem alveum exitum habet ductus thoracicus, ubi valvula eſt manifeſta introrſum ſpectans.

In

In *Vaſis Lymphæ* inflatis & exſiccatis manifeſtæ *valvulæ* apparent, ut plurimum duæ junguntur, ita un una ſit paulo ſupra aliam & aliquantum oblique ſita.

*Vas* erat *Lymhaticum*, ab hepate ad receptaculum tendens, nullam in tranſitu communionem cum glandulis haben, cujus delineatio in *appendice ad Veſlingium*.

*Palpebræ*, tam ſuperior quam inferior, in extremitate preſſæ, aliquid gypſi, aut cremoris inſtar emittebant.

*In tunica Retina* manifeſta apparent *Vaſa ſanguinea*, ſi ita aperiatur, ut humoris aliquid remaneat, alias enim ferè ſtatim corrugatur, & vaſa non ita bene apparent.

*Tendo Muſculi* videtur ex multis quaſi filamentis conſtare, qui ſi coquatur refert gluten ſolidum, ſi vero leniter dividatur rumpendo, apparet, ex quam multis & tenuibus filamentis ſit compoſitus.

*In Cartilaginibus auris externæ*, quædam ſunt eminentiæ in quibus glanduloſa eſt ſubſtantia, ex qua pauxillum humoris exprimitur.

gna, lata, longa, rubra, carnoſa: ad utrumque oculi canthum extenſa, hinc cum annexis membranoſis tendinibus, totum implebat circulum? Glandula preſſa ſuccum flaveſcentem, craſſum, inſipidum dabat.

In orbitâ oculi, alia, minor, albicans magis *glandula* aderat, ſimilem ſuccum exhibens.

Non habent *Epiglottidem*, ſed laryngis apertio eſt inſtar Rimæ oblonga, muſculis munita, ita ut ſe claudere & dilatare poſſit,

*Lingua* ab utroque latere duos quaſi dentium ordines habet, vel ſaltem ſpinarum quarundam nigrarum, dentium inſtar acutarum, non tamen adeò durarum.

*Lingua os* habet, inſtar ejus quod eſt in Cygno. Vide Fig. 16.

a. *Nervi odoratorii.*

b. *Nervi per ſuperiorem orbitæ partem, ad roſtrum diſtributi,*

c. *Alii per inferiorem delati.*

Quod ſupra nares eſt, & pro odoratariis habetur, tantum eſſe videntur *proceſſus papillares*, quia eandem cum

Ce-

Cerebro, non cum nervis. ſubſtantiam, conſiſtentiamque, imò eundem etiam colorem habent.

## *In Anate fœmina.*

1665. xiv. Decemb.

A lateribus *aſperæ arteriæ* duo utrinque adſunt muſculi longi, teretes, tenues.

Veſiculæ membranaceæ (quæ flatum recipiunt ubi in aſperam arteriam per fiſtulam immittitut) ad ventris inferiora extenduntur.

Ubi aër ex trachea paulò ſupra claviculas attrahitur per fiſtulam, ibidem excitatur *ſonus* anati naturalis.

Ad ingreſſum tracheæ in thoracem, in duos dividitur ramos, qui mollioris ſunt ſubſtantiæ ipſa trachea, & qno magis ad pulmones accedunt, eo membranacei magis fiunt. Vide Fig. 16. ubi

A. *Trachea aperta.*

B B. *Ejus diviſio.*

C C C. *Muſculi.*

Duo ſunt *inteſtina cæca*, oblonga.

Duplex eſt *Pancreas.*

Duo ſunt *foramina in inteſtinum* hiantia, quæ *bilem* diverſæ conditionis effundunt in inteſtina, una enim viridis quæ ex hepate, altera nigricantior quæ ex veſiculâ fellis profluit. Vide Figur. 18. ubi

A. *Ventriculus.*
B. *Inteſtinum.*
C. *Ductus hepaticus.*
D. *Veſica fellis.*
E. *Ductus cyſticus.*

## *In Columbo. Belgis een Pagadette.*

1665. xxviij. Octob.

*Muſculi Pectoris* duo erant, ſibi invicem incumbentes, quorum Prior, qui oſſis ſterni ſpinæ anticæ baſi adhærebat, per ſuum medium tendine notabili dividebatur, ſic ut fibræ ab oſſe ipſo pectoris, & ab hâc ſpinâ, carnoſæ omnino procedentes, in hoc tendine terminarentur, vel potius hunc tendinem conſtituerent. Erant autem fibræ illæ, ſuperiores, albæ, quibus hinc inde rubicundæ fibrillæ accedebant, hæ verò, inferiores, rubræ. *Alter* ſimiliter tendine gau-

gaudebat notabiliore, quia Muſculus erat major, totus rubicundus, attamen rubicundior ea parte quæ vicina eſt cuti, quàm ea, quæ adhæret ſubjecto Muſculo, jam explicato. Fibræ hic omnes magnæ erant, ſic ut muſculos quaſi varios referrent, facile ſeparabiles. Vide Fig. 19. in qua

A A. *Tendo.*

B. *Fibræ.*

*Veſiculæ*, ut in aliis avibus, ita & hic duæ aut tres occurrebant. Harum ſuperior ſtatim ſub oſſe pectoris ſita erat, ex pulmonum poris aërem accipiens, (quod flatus per tracheam immiſſus per poros pulmonis illius lateris dorſo adherentis exiens, & ob ruptam veſicam candelæ admotæ flammam extinguens, ſatis declarabat) ſe uſque ad ventriculum, extendebat ubi inchoabat veſica *ſecunda* priori minor. *Tertia*, infima, ad ventris anteriora ſita, omnium maxima, aërem accipiebat per canalem membranaceum, per Pulmones in eam tranſeuntem propter foraminula varia alia.

*Ingluvies* dilatabilis valde ſaccus eſt, mem-

membranoſus, cavernulis plurimis præditus.

Hæc dilatata ſpectandas exhibebat *lineas* ſex glanduloſas, albas, a ſuperiori ſeu extenſa parte deſcendentes ad ingluviei anguſtias.

Hîc incipit ipſa *gula*, quæ pollicis tranſverſi longitudinem habet, & conſtat internis glandulis innumeris, ſubrubris, ſemen papaveris figura referentibus, maxime quæ vicinores ſunt ipſi ventriculo, hîc enim ſinus albus eſt nervoſuſque. Vide Fig. 20. in qua

A. *Collum ingluviei.*

B. *Oeſophagus glanduloſus.*

. . . *Glandulæ hujus.*

CCC. *Glanduloſæ ſtriæ ingluviei.*

D D. *Ingluvies.*

In *Ventriculi Tunica* exteriori Vena & Arteria valde conſpicuæ.

*Inteſtinum Cæcum*, quod in avibus duplex, utroque latere unum, vermiculi inſtar ſurſum ad latus ilei, cui adhærent, adſcendens, hic exiguum erat, tritici magnitudine.

*Glandulæ* hic duæ albæ in dorſo decumbentes videntur, ibi loci, ubi deſinunt

ſinunt pulmones, quæ teſtes ſunt. Ibi & ovarium incipit in feminis.

*Lien* exiguus inter hepar & ventriculum collocatus.

*Tubuli odoratorii* ad radicem roſtri ſiti ſunt patuli.

In medio *Corneæ tunicæ* oculorum circulus fere oſſeus.

In *ore* lateraliter ad latus roſtri, in medio & intra lineas tendinoſas glandulæ adſunt plurimæ.

Ad *Uropygium* in dorſo *glandulæ duæ* ſitæ ſunt, oleoſam materiam continentes, & ubi premuntur exhibentes.

## *In Carpione.*

1666. xix. Januarii.

Omnia *Inteſtina* (quæ ſurſum deorſumque, ut in anatibus, non in gyros, ut alias, diſtribuuntur) per hepatis ſubſtantiam ipſis intertextam conjunguntur, ut una quaſi maſſa ex ipſis conſtitui videatur.

Continetur item & *Veſicula fellis* & *Lien* in eadem compage.

Ut & *Ventriculus*, qui inteſtini inſtar oblongus erat, in cujus principio ductus

ctus Cyſticus inſeritur; unde tota ſuperficies interior bile tincta erat.

*Cor* in ſuperiori loco poſitum auriculam amplam habet, membranoſam, multo carnis quaſi glanduloſæ intermixto: magnitudine ipſum Cor excedit, quod ſoliditate ſua ſe ſatis prodit.

*Dentes* in faucibus non in anteriori oris parte hærent.

Id quod *Lingua* vulgo dicitur, proprie non eſt lingua, nam in ſuperiori palato hæret, ita ut cibus ſub ea tranſeat; ſed eſt glanduloſa quædam ſubſtantia, alba, mollis, humida, & quæ puncta, aut alio modo læſa, ſe miro modo commovet.

Duæ ſunt *Veſiculæ*, quæ prima fronte quaſi diſtinctæ apparent, inter ſe tamen communionem habent; & flatus ex una in aliam tranſit; idque hoc modo. Per fiſtulam in faucibus digitum latum ſub dentibus ortam, & in veſiculam inferiorem terminantem, & ſtylum tenuem admittentem, flatus in veſiculam inferiorem ingreditur, & ex inferiori in ſuperiorem: hinc læsâ unâ veſicâ flatus ex altera etiam egreditur.

Duplici

Duplici membrana gaudent hæ veſiculæ, altera quidem tenuiori, quæ interior eſt, altera autem craſſiori, quæ exterior eſt, cujus ope & dorſo annectuntur hæ veſiculæ. Vide Figur. 21. ubi

A A. *Veſiculæ.*

B. *Fiſtula ſ. ductus in veſicam inferiorem.*

C. *Utriuſque veſicæ communio.*

Ab utraque parte harum veſicularum hærent *Lactes.*

*Ureteres* manifeſti ab utraque parte renum ad umbilicum vulgo dictum deducuntur, & ſtylum & flatum & humorem admittunt, & ad locum dictum deducunt.

*Veſica* autem urinaria (ad umbilicum vulgo B. piſcatoribus dictum ſita,) omnia in Ureteres immiſſa recipiebat, & per eam tranſibant, antequam è corpore egrederentur.

## *In Lupo Lucio.*

1666. xxv. Jãnuar.

*Hepar* ipſi oblongum, inſtar linguæ, ad ſecundas pinnas extenſum. *Veſica* *fellis*

*fellis* in hepatis parte ſuperiore hæret, ſupra quam minor ejus lobus apparet, qui eam quaſi tegit.

*Color veſicæ* ex cœruleo palleſcens. *Color hepatis* quaſi ex flavo & rubro cum cinericeo mixtus eſt.

Immiſſus in *Aortam flatus* primò Cor tranſiens auriculam ingreditur, & dehinc in venas hepatis, poſt in omnes totius corporis venas pergit. Vide Fig. 22. in qua

A. *Vena Cava.*
B. *Auricula inflata.*
C. *Cor inflatum.*
D. *Arteria aorta deſcendens.*
e e. *Ejuſdem divaricatio.*
f. *Ingreſſus auriculæ in Cor.*

*Lien* ad finem Ventriculi & initium duodeni ad pylorum hæret, in inferiori abdominus parte, ita ut non è directo hepatis, ſed potius in inferiori loco, hepar in ſuperiori hæreat, pinguedine copioſâ præditus. Lien hic ab unâ parte ſuperficiem habebat planam, ab alterâ verò acuminatam, in totum tricuſpidalis Figuræ: ut Fig. 23. oſtendit, ubi

A. *Partem* ejus denotat *ſuperioram.*

B. *In*

B. *Inferiorem.*

*Ventriculus* oblongus ſpithamæ longitudine, inteſtini inſtar longus, ſed latior, ita ut duplam latitudinem inteſtinorum obtineat.

*Vermes lati* plurimi in inteſtino hærebant, oriebantur filamentis tenuiſſimis ex ipſâ inteſtinorum tunica, cui annexi erant, & ad manum latam ſub pyloro hærebant.

*Ductus choledochus* ex veſica fellis ſpithamæ longitudine diſtribuitur ad inferiora, & in duodenum inſeritur, per mediam autem pancreatis ſubſtantiam fertur, acſi ductus pancreaticus eſſet.

*Pancreas* longum valdè, & ad omnes inteſtinorum partes pertingens.

*Ductus Hepaticus* in tres quatuorvè ramos divaricatus in hepatis ſubſtantiam diſtribuitur.

*Ventriculus* circa Oeſophagum *plicas* oblongas habet ad gulam extenſas. In principio Oeſophagi *foramen* eſt manifeſtum, ubi principium eſt illius ductus per quem aër veſicam pneumaticam ingreditur.

Ad hoc foramen concurrunt *Fibræ*,

quæ

quæ dein illud tranſeunt, & ſecundum longitudinem ad veſicam dictam extenduntur.

Multa ſunt *foraminula in veſicâ dictâ* pro tranſitu vaſorum ſanguineorum, plura tamen ſunt ligamenta alba veſiculam dorſo annectentia.

*Renes* longi valdè & flaccidi ad dorſi longitudinem extenſi. Circa tertiam partem ab inferiori loco *Ureteres* oriuntur, in Veſicam tranſeuntes.

*Dentes* ſunt in faucibus & ad bronchia, in anteriori oris parte, in maxilla inferiore.

*Dentium* ſeries eſt introrſum ſpectans.

## *In Cane Lactante.*

1665, x. Octob.

Corpore vertebrarum aperto, experimentum factum eſt circa ſpinalem medullam, num membranæ, an vero ipſa medulla magis ſentiret, talis autem fuit eventus.

Dum Membrana ſecaretur jam ferè mortuâ cane, nullus motus in membris

notabatur, dum vero Medulla ſcalpello tangeretur, aut divideretur, motus in crure notabatur manifeſtus.

Mammæ verſus interiora compreſſæ lac præbebant in vas (Lymphæ fortè) quod una cum vena & arteria ab interioribus ortis diſtribuebatur.

FINIS.

516193


Fig. III
II
V
VI
Fig. I
XXI
XXII
XXIII
XIII
XV
X
XI
XIV
XII
IV
XX
XIX
XVIII
XVII
XVI
VII
VIII
IX



Fig. III
II
V
VI
Fig. I
XXI
XXII
XXIII
XIII
XV
X
XI
XIV
XII
IV
XX
XIX
XVIII
XVII
XVI
VII
VIII
IX

# OBSERVATIONUM ANATOMICARUM

Collegii privati

AMSTELODAMENSIS,

PARS ALTERA.

*In quibus præcipue de Piſcium pancreate ejuſque ſucco agitur,*

Figuris elegantioribus illuſtrata.



AMSTELODAMI,

Apud CASPARUM COMMELINUM.

M DC LXXIII.

# VIRIS

*Laudatiſſimis, experientia & doctrina Clariſſimis, Medicinæ Doctoribus.*

D°. MATTHÆO SLADO,

D°. ABRAHAMO QUINA,

D°. HERMANNO van FRIESSEM,

D°. JOHANNI SWAMMERDAM,

D°. DANIELI GODTKE,

D°. ANTONIO à STAMHORST.

D. D. Fautoribus ac Amicis omni honoris cultu proſequendis,
Hæc,
Quæ obſervarunt excercitiis Hiemalibus.

L. M. Q.
D. D.
D.

C. COMMELIN.

J U L I A N U S.

Etſi alterum pedem in ſepulchro haberem, adhuc addiſcere quædam vellem.

# OBSERVATIONES ANATOMICÆ,

*Hyemalibus excercitiis Congeſtæ.*

## PULMO OVILLUS.

Anno CIↃ IↃ CLXXI. 14 Dec. St: N.

V*Ena pulmonalis*, ad finem ferè Pulmonum, valdè notabilis progreditur, & anteriori parti Tracheæ, quæ ſternum ſpectat, incumbit.

*Arteria Pulmonalis*, magis ampla adhuc quam vena, etiam ad finem Pulmonum excurrit ; ita ut ne ſtraminis quidem latitudine à membrana pulmones cingente abſit ; & oppoſitæ parti Tracheæ, quæ dorſum ſpectat, incumbit; ita ut Trachea, inter utrumque vas, media deducatur. Vide

TAB. I

*fig. I*




*fig. II*




*D. Boſboom. f.*

T AB. I.

*Fig. I.*

A *Trachea.*
BB *Vena.*
CC *Arteria.*

Si liberalius *aqua* per Siphonem in *Arteriam pulmonalem* infundatur, eadem aquâ regredietur per Tracheam, valde *Spumoſa*; ut recte notavit Clariſſimus *Malpighius.*

In Trachea circa ejus diviſiones, *cartilagineos quaſi Hamos* licet obſervare, qui eam non (ut alii annuli vulgo ita dicti) ſecundum latitudinem ſed ſecundum longitudinem ambiunt, ſubinde figuram litteræ x exprimentes. vide T AB. I. *Fig. II. ad Lit.* A B C D.

## *Pulmo Ovillus.*

CIↃ IↃ CLXXI. 26. Decemb.

*Arteria Bronchialis* oriebatur ex aortæ medio, quatuor circiter digitorum transverſorum latitudine a corde, circa locum exortus Arteriarum intercoſtalium: ad diviſionem autem Tracheæ etiam hæc arteria dividebatur, eamque comitabatur, neque ita ſemper recto tramite (ut a D°. *Ruyſch* in vitulino pulmone depicta eſt) ſed ſubinde figura pampiniformi procedebat, & ad ſingulas Bronchiorum diviſiones ſubdividebatur.

*Interior Tunica* Aſperæ arteriæ à cartilaginibus ſeparata & compreſſa, *ſpumam* emittit cum bullis valde exiguis.

*Annuli Tracheæ* non ubique eodem modo ſe habent, *aliam*

*enim*

*enim figuram* obtinent extra pulmones, *aliam* vero ubi eaſdem ingrediuuntur. *Priores* enim uno corpore conſtant; *Poſteriores* ex pluribus cartilaginibus ſimul junctis conſtituuntur. *Vid. Tab. II. Fig. II. III. & IV.*

*Priores* etiam hoc habent, quod ita inter ſe ſint diſpoſiti ut unus alium ab una parte tegat, & ab eodem ab altera parte tegatur, atque ita ſe invicem; ſquammæ ferè in modum, quodammodo excipiant. *Vid. Tab. II. Fig. I.*


TAB. II
fig. I
A
C
B
D
fig. II
fig. III
fig. IV

## TAB. II.

### *Fig. I.*

*Connexionem naturalem Cartilaginum, extra pulmones ac ſitum oſtendit.*

A *Cartilaginis pars ſuperior, ſquammæ in modum ſubſequenti connexa.*

B *Ejuſdem cartilaginis pars inferior ac depreſſior.*

C *Mediæ ſeu ſubſequentis cartilaginis pars quæ tegitur.*

D *Altera ejus extremitas quæ tegit.*

### *Fig. II.*

*Annulim Tracheæ, in pulmones ingreſſum delineat.*

### *Fig. III.*

*Notati annuli Cartilagines indicat.*

### *Fig. IV.*

*Similes Cartilagines alterius annuli tracheæ exprimit.*

## *Pulmo & Cor Bovis.*

CIↃ IↃ CLXXI. 7. Dec.

Inveſtigantes magnitudinem & amplitudinem vaſorum ſanguineorum in Pulmonibus, obſervatum eſt, *Venam* & *Arteriam* pulmonales admodum eſſe notabiles & patentes, adeo ut vix anguſtiores reddantur, niſi cum ad finem lobi accedunt; ita ut ſi duorum digitorum latitudinem excipias, ubique fere æque ſint patulæ & notabiles.

*Aſpera Arteria* ſe ad finem uſque pulmonum extendebat; & ſtylum craſſitie minimi digiti facile admittebat.

Quoties extrinſecus, in membrana ſuccingente, *fiſſura ſeu diviſio apparebat*, qualis ferè in Glandulis conglomeratis obſervatur, toties lobi erant ſeparati ac diſtincti, ſed levi membrana cohærentes,

qua

qua ablatâ, lobuli illi ſeparatim pendebant. Vide *Figuram* famigeratiſſimi *Malpighii.*

Qualia ſtamina adſunt in fine valvularum triangularium in corde, talia etiam in fundo ventriculi ſiniſtri occurrunt, neque tamen in valvulas deſinunt ſeu eo uſque progrediuntur.

Circa baſin Cordis inter arteriam äortam & venam pulmonalem, *Oſſiculum* obſervatum eſt, ſatis durum & in medio cavum, ut D. *Stenonis F.* etiam obſervavit.

## *Pulmo Ovillus.*

CIↃ IↃ CLXXII. 10. Januar.

Inquirendo in *Aſperæ arteriæ* conſtitutionem, notatum etiam eam in capillares ramos ſubdividi.

Quantum oculis potuit obſervari, etiam *Cartilagineum* quid in mi-

minoribus ramis Tracheæ occurrebat. In capillaribus aderat quidem durities quædam, quaſi cartilaginea & plus quam membranoſa; ipſa autem cartlaginum diſtincta figura non poterat oculis obſervari.

## *Pulmo & cor vituli.*

CIƆ IƆ CLXXII. 18. Jan.

Ad latera Aſperæ arteriæ antequam pulmones intraret, pinguedo aderat, in qua quatuor & plures ſatis notabiles *Glandulæ* conglobatæ obſervabantur.

Membrana interior Aſperæ arteriæ *fibris carneis prædita* eſt oblongis, quas manifeſtiores obſervabis, ſi eam proſequaris uſque dum pulmones ingreditur.

In eadem interiori membrana, quæ in ſuperficie fibras rectas habet, apparent aliæ fibræ, ſub illis rectis, quæ fere *omnes ſunt tranſverſæ.*

In

In cordis baſi *Oſſiculum* notatum, quod diviſum mediam cavitatem, rubicunda *medulla* plenam, habebat.

Annuli Tracheæ non ſunt *pleni annuli*, ſed ab anteriori parte ſunt craſſiſſimi, & paulatim attenuantur, uſque dum non appareant amplius, reliquum circuli clauditur tantum membrana tam extoriori & laxiori, quam interiori & arctiori; unde oritur *Eminentia* illa annulorum Tracheæ, ubi Oeſophago incumbit.

## *Pulmo Vitulinus.*

CIↃ IↃ CLXXII. 8. Februar.

*Mercurius vivus* in Arteriam bronchialem infuſus, egregium edidit ſpectaculum; hinc enim arteria tota, *quaſi argentea*, & manifeſta reddita eſt, ita ut non tantum majores, ſed etiam minimæ ejus

diva-

divaricationes apparerent; mercurius enim per eaſdem vaſorum diſtributiones ad ſuccingentum uſq; Pulmonum membranam pergebat.

Poſt octiduum Mercurius in aliis Ovillis pulmonibus, in Arteriam pulmonalem injectus, vaſorum divaricationem ſatis quidem manifeſtè oſtendebat, cæterum nullus alius ſecutus eſt effectus, undique enim, etiam *per membranam ſuccingentem*, prorumpebat.

*Vitulus nuper Natus.*

Sanguis in *Arteriis Umbilicalibus* erat ferè cöagulatus, neque tamen ſaniei aut puri ſimilis; cöagulatio autem hæc non erat ubique æqualis; ſanguis enim circa Iliacas erat adhuc fluidus, ſurſum vero cöagulatus; ulterius autem, circa Umbilicum, arteriæ erant quaſi oblite-

literatæ & Sanguine vacuæ: inſerebantur autem Arteriæ Umbilicales in ipſa diviſione ſeu concurſu cruralium.

## *Acipenſer, vulgo Sturio.*

CIↃ IↃ CLXVIII.

In *Piſcium Pancreas* ejusque ductus inquirendi anſam nobis ſuppeditavit A°. CIↃ IↃ CLXVIII. Clariſſimus ſimul ac Excercitatiſſimus Anatomicus D. D. *Johannes van Horne*, cum dicto Anno aliquos ex Collegis in ædibus D. à *Frieſſem* ad *Acipenſeris* viſcera perſcrutanda amicè invitaſſet.

Dictu enim difficile eſt, quam vaſtum tunc temporis invenerint *Pancreatis corpus*, quam copioſum *Succum*, quamque patentes *Ductus*; integrum digitum aut pollicem (in eorum in inteſtinum exitu) facile admittentes. *Suc-*

*Succus*, ſapore non ſubſalſus, non ſub acidus, at ſub amaricans, tam copioſe è pancreate profluebat, ut ſine ullo artificio integras phialas implere potuerit.

Qualem ampullulam ſucco plenam, A°. CIↃ IↃ L, XXII. XXIII *Maji*, aliquis Collegarum ad Eruditiſſimum atque Incomparabilem Anatomicum Leidenſem *Carolum Drelincurtium* miſit, qui, ut etiam omnes quibus ſuccum guſtandum præbuit, nulla aciditatis veſtigia in eo reperire potuit.

## *Acipenſer.*

CIↃ IↃ CLXXI. 16 Maji.

*Ventriculus* admodum brevis & contractus vix enim quatuor digitos longus & duos latus erat, cum tamen Oeſophagus ventriculi longitudinem æquaret.

*Pan-*

*Pancreas* externè quadantenus figuram renis ovilli exprimebat, interne autem innumeris ductubus lateralibus ſatis manifeſtis, & in plures ramos deſinentibus, conſtabat.

Manifeſti etiam erant *exitus ductus Pancreatici* in Ecphyſin, & magna humoris copia ex iis colligebatur, qui ingratum plane & herbaceum ſaporem habebat.

*Inteſtina admodum craſſa* & in ſuperficie externa glabra; in interna inæqualia, & cruſta glanduloſa contecta, ea vero quo magis ad inferiora vergebant *valvulas* ſeu ligamentoſa quædam corpora habebant, duorum digitorum latitudine à ſe invicem poſita, & transverſim vel oblique inteſtina ſecantia, ſicque *Cochleam* aliquam concinne exprimentia.

*TAB. III*



## Tab. III.

*Pancreatis ductus majores, laterales ac internos, graphicè exprimit.*

A *Locus ductus majoris.*
BBBB *Ductus laterales & interiores.*
CCC *Circumferentia pancreatis.*



TAB. IV

## Tab. IV.

### *Acipenſeris cætera delineat viſcera.*

A *Ventriculus apertus cum ſuis rugis.*
B *Pylorus.*
C *Inſertio ductus bilarii.*
D *Pancreas.*
E *Exitus canalium pancreatis in Ecphyſin ſeu Duodenum vulgò dictum.*
FF *Cavernulæ plurimæ ubique in inteſtinis conſpicuæ, ſuccum, pancreatis ſucco analogum, continuò promentes.*
G *Duodeni exitus in Cochleam tenuis inteſtini.*
HH *Elegans cochlea in inteſtino tenui.*

II *Pun-*

II *Punctula, contentorum motum ſpiralem per inteſtini Cochleam, denotantes.*

K *Scapus cochleæ.*

## *Aellus major vulgo.* Belgice Cabbellau.

*Pancreas glanduloſum ac tubuloſum* in hoc piſce eſt, tenui membrana inveſtitum, quo ejus appendices vermiculares colligit atque vaſa continet.

*Situs* eſt ſub ventriculo, ad initium Ecphyſis, cui in modum circuli adhæret, ita tamen ut pancreatis inſertio admodum oblique ſe habeat, uti ex appoſita figura, atque obliquo ſitu orificiorum, videre eſt.

Ductus pancreatici *numero ſex ſunt*, ut plurimum, licet enim

plures

plures ſint appendices, omnes tamen in ſex illos ductus ſeu truncos majores deſinunt.

*Appendicularum numerus* in totum aliquando ad ducentas nonaginta & novem aſſurgit, truncorum vero valde diſcrepat, nam aliquando quadraginta, aliquando ſeptuaginta duo numerantur.

*Tria vaſorum genera* Venas, Arterias ac Nervos habet, quæ omnia Ductum bilarium comitantur uſque ad ejus inſertionem, quo ubi pervenerint, admodum belle per totum pancreas, ejuſque laciniarum innumeras colligentes membranulas, diſtribuuntur.

*Notandum* ductuum pancreaticorum exitus valde eſſe patentes (etiam in omnibus fere aliis piſcibus) ubi contra bilarii exitus valde contractus notatur.


TAB. V
fig. II
A
A
B
B
B
B
B
B
E
D
C
fig. I
A
A
B
D
D
C
E
E
E
E
E
E
D
D
C
F

Succi pancreatici *Sapor* ac *Color*, cum ſeminis è Veſiculis ſeminalibus Taurorum ac Canum Proſtatis expreſſi, quadantenus convenit, ac in faucibus rancidum ſaporem excitat, aliquando *ſubamarus* eſt & *ſubflavus*.

Ex ductubus pancreaticis penduli erant in ecphyſin, *Lumbrici* albi latiores plurimi.

## TAB. V.

### *Fig. I.*

*Pancreas cum Appendicibus notat.*

A A *Fundus ventriculi.*
B *Pylori locus.*
C C *Ecphyſis.*
D D D D *Appendices vermiculares ac lacinioſæ pancreas conſtituentes.*

EEEEEEE *Appendicularum trunci ſex majores à quibus cæteræ orinntur.*

F *Bilarii ductus ejuſque inſertio in inteſtinum.*

*Fig. II.*

*Pancreatis exitus in Inteſtinum delineat.*

A A *Ventriculi pylorique productio ad ecphyſin.*

BBBBBB *Appendicularum, pancreas conſtituentium, exitus patentes.*

C *Veſicula fellea.*

D *Ductus laterales bilarii ſeu hepatici.*

E *Exitus anguſtus bilarii ductus.*


TAB. VI
fig. I
fig. II
fig. III
fig. IV
fig. V
A
B
C
D
E

## Tab. VI.

### *Fig. II.*

*Pancreatis truncum majorem, ad vivum, exprimit.*

A *Truncus pancreatis maximus abſciſſus ac graphice depictus.*
BCD *Ejusdem ramificatio triplex.*
EEEE *Appendicularum propagines bifariæ ut plurimum & trifariæ, raro quadrifariæ.*

### Fig. II.

*Eundem truncum ſub alio ſitu delineat*

### Fig. III.

*Appendicularum vermicularium vaſa atque membranas demonſtrat.*

AAA *Membranæ.*
B *Vaſa.*

## *Aſellus minor vulgo*, B. Schelvis.

*Pancreas Aſelli minoris* in omnibus ferè cum pancreate Aſelli majoris convenit.

### Tab. VI.
### *Fig. IV.*

*Pancreas cum Appendicibus notat.*

A *Ventriculus.*
BB *Pancreas.*
C *Ductus bilarius.*
D *Ecphyſis.*

### *Fig. V.*

*Pancreatis exitus demonſtrat.*
A *Ventriculus.*

BBB *Pan-*

BBB *Pancreatis in ecphyſin apertiones.*

C *Ductus bilarius ejuſque inſertio.*

## *Perca fæmina.*

CIↃ IↃ CLXXII. 14 Martii.

*Ovarium* innumeris ovis plenum, quæ ora per laminas membranaceas diſpoſita erant, velut inferius de Lucio notatum, vide Tab. IX. *Fig. I.* Ad ſingulas autem laminas vaſa ſanguinea deducebantur, quæ vaſa ampla & notabilia per ſuperficiem ovarii diſpergebantur.

P*ancreas* exiguum ex tribus tantum Appendicibus conſtans, quarum ſingulæ in inteſtinum patebant, glanduloſumque erat, & ſubſtantiæ inteſtinis ſimili.


TAB. VII
fig. I
A
A
C
D
C
C
E
G
B
F
fig. II
D
C
A
C
B
fig. III
C
A
A
B
B
D
fig. IV
A
D
A
F
G
C
C
E
B

## Tab. VII.

### *Fig. I.*

*Percæ viſcera exprimit.*

AA *Oeſophagus cum ventriculo.*
B *Ecphyſis.*
CCC *Pancreas tubuloſum ſeu fiſtuloſum.*
D *Tubulorum exitus in inteſtinum.*
E *Veſicula fellis.*
F *Lien in ſitu.*
G *Hepar.*

### *Lupus Lucius.*

CIↃ IↃ CLXXII. 21. Martii.

Inquirendo in pancreas voto non ſucceſſit.

*Veſicula fellis* ductum ſuum bilarium admodum longum habebat, ita ut in hoc piſce, qui erat ex majoribus, ſpithamæ longitudi-

TAB. VIII



nem æquaret : circa inſertionem notabiliter ampliatur, atque mox denuo conſtringitur.

## *Anguilla.*

CIϽ IϽ CLXXII. 28. Mart.

*Pancreas* in Anguilla ſeu ſaltem ejus *ductus*, difficulter admodum in apricum producitur, nam per duarum horarum ſpatium in ejus enudatione occupati fuimus.

Pancreatici *ductus duo* erant, unico exitu in inteſtinum gaudentes, atque ejus cavitates tam arctæ, ut vix ſucci gutta apparuerit.

Cætera quæ obſervavimus ſequens tabula docebit.

### Tab. VIII.

### *Fig. I.*

*Anguillæ viſcera delineat.*

A A *Ventriculus.*
B *Ecphyſis.*

CC *Pan-*

CC *Pancreas.*

D *Fellis veſicula.*

E *Pancreatis & fellei meatus apertiones in ecphyſin.*

F *Hepar.*

G *Lien in ſitu.*

H *Rami ſplenici pancreas perforantes.*

I *Menſentericus ramus maximus qui pancreas circumque ambit.*

## *Lupus Lucius* recens à partu.

CIↃ IↃ CLXXII. 2. Aprilis

*Ovarium* jam ab omnibus ovis liberum, apertum, & aquæ immerſum, admirandam ſuam exhibebat ſtructuram: exterius glabrum eſt, interius autem villoſum ex multis quaſi laminis *ſe invicem ſubſequentibus* compoſitum (propemodum ut in ventriculo tertio ruminan-

nantium. ) Hæ autem laminæ ſunt membranæ tenuiſſimæ quibus *ova* annectuntur; ovis vero excretis, iiſdem laminis adhærebat Subſtantia quædam glanduloſa, punctis aut *granulis* notata, quæ videbantur eſſe ovorum rudimenta. Non tamen laminæ hæ per totam ovarii internam ſuperficiem extenduntur, ſed à tergo incipiunt *vaſa ſanguinea*, quæ repunt per membranaceam ſubſtantiam, digiti fere latitudine; dein ſe invicem accedunt, qnemadmodum fit in meſenterio, & ſic ad laminas quæ ibi primum oriuntur, pergunt.

TAB. IX

*fig. I*




*fig. II*



TAB. IX.

*Fig. I.*

*Ovarii membranulas, quibus ova annectuntur, demonſtrat.*

A A *Tenues ovarii laminæ.*

B B *Ova necdum excreta.*

Quid pro *pancreate* habendum eſſet non conſtabat; aderat enim corpus aliquod, quod an pancreas eſſet an *pingnedo*, aut aliud quid non licebat dijudicare; ſitum erat ad longitudinem ventriculi, & inteſtinorum extenſionem comitabatur, ut in *Fig. II.* hujus TAB. IX. ad *Lit.* ffff.

TAB. IX.

*Fig. II.*

*Lucii quædam viſcera exprimit.*

A A *Ventriculus.*

B *Pylorus.*

CC *Ecphyſis.*
D *Veſicula fellea cum ductu.*
E *Ejus inſertio in ecphyſin.*
FFFF *Corpus ignotum ac obſcurum.*

## *Cuculus.* B.
## Knoz-haen.

Quæ in *Cuculo* obſervata ſunt, *Fig. II.* & *III.* Tab. VII. exhibet.

### *Fig II.*

A *OEſophagi pars.*
B *Ventriculus eſca plenus.*
CC *Pancreas ſeu appendices.*
D *Ecphyſis*

### *Fig. III.*

AA *Ovarium.*
BB *Veſica urinaria.*
C *Inteſtinum rectum.*
D *Ejus exitus.*

## *Tinca.*

CIↃ IↃ CLXXII. 10. April.

Statim poſt *dentes in gula poſitos*, ſequitur cavitas fibris rectis donata, quam *Oeſophagum* dixeris, hanc excipit glanduloſus tubus, ad finem corporis uſque, quem inteſtinum continuatum merito appellaveris, in cujus initio inſeritur ductus Pori bilarii, ita ut nec *ventriculi* nec *pylori* obſervabilis diſtinctio appareat.

Obſcurum & fere nullum pancreatis lineamentum obſervabatur.

*Hepar* ſecus ac in aliis ad inteſtinorum ductum diviſum, iiſque adhærens, ac *inter eorum plicas deliteſcens*, ita ut *lienem* inter & inteſtinum & ſeſe contineat & complectatur.

*Aloſa.*

## *Aloſa.*

CIↃ IↃ CLXXII. 2. Maji.

*Pancreas* multis conſtabat *appendicibus*, quod plurima habebat foramina in ecphyſin aperta.

*Notandum* figuram illam quam dedit Clariſſimus *Needham* de inſertione Veſicæ aëreæ in ventriculum, in quibusdam aberrare à vero; totum enim ventriculum non delineavit; neque corpus illud quod ipſe pro ventriculo habet verus eſt ventriculus, ſed tantum *continuatio œſophagi.*

### TAB. X.

*Aloſæ quædam viſcera delineat.*

A *Initium œſophagi.*
B *Ingreſſus conſtrictior & anguſtior ventriculi.*
C *Continuatio œſophagi, in cujus fine*

TAB. X



*fine exoritur ductus qui in veſicam aëream tranſit.*

D *Ductus veſicæ aëreæ.*

E *Ventriculus verus, eſculenta materia, ut plurimum repletus.*

F F *Pancreas ſeu appendices.*

G *Veſica fellea.*

H *Ecphyſis, vulgo duodenum.*

I *Veſica aërea.*

## *Lupus Lucius.*

CIϽ IϽ CLXXII. 3. Maji.

Quanquam in enumeratis piſcibus pancreatis corpus ejuſque ductus evidentiſſimus ſit, ægre tamen in hoc piſce ipſius canalis luſtratur, nam licet ſepties hunc nodum novecula ſolvere aggreſſi ſimus, necdum tamen ad libitum ex hoc labyrintho extricare nos potuimus, quare mirari liceat, quod *D. De Graaf* in pancrea-

ereatis piſcium conſcribenda hiſtoria, illos tantummodo piſces protulerit, in quibus minutiſſima ſunt viſceris lineamenta, & vix agnoſcendæ notæ canalium, adde quod de ſucco hujus viſceris abundantiſſimo, nil minus quam adcidum ſpirante, ne per nebulam quid dixerit.

### *Truta, Cyprinus latus & Carpio.*

In hiſce piſcibus præter Stomachum *nihil ventriculi adeſt vel ſaltem apparet*, unde etiam notare licet ſtatim circa fauces, ubi ecphyſis ſeu inteſtinorum primum incipit, bilarii canalis exitum; ex cujus forſan inſertione *D. de Graef* collegit, ſuccum pancreaticum ſeſe in carpionibus, immediate in ventriculum exonerare in quo, cum ne veſtigium ventriculi adſit, erraſſe nobis videtur. *Hip-*

## *Hippogloſſus Rondeletii.* B.

### Hepl-bot.

Ventriculus vacuus erat niſi quod *Vertebræ quædam piſcium*, lympidiſſimo liquore involutæ, notarentur, quæ intra digitos compreſſæ omnino flexiles erant. Dictus humor copioſe aderat ac ſe guſtui ſubſalſus præbebat, nulla aciditatis indicia præ ſe ferens; quod tamen acidum ad difficilis concoctionis alimenta à quibusdam tam ſollicitè requiritur, ut deficiente hoc in ventriculo, illud in pancreate quærant: quare aperto pancreate ejus famigeratiſſimum ſuccum guſtavimus, at præter amari cantem ſaporem, nil potuimus in eo dignoſcere.

Omni enim admiratione majus *Pancreas* in hoc piſce ſe habebat, ex

ex *quatuor* Appendicibus glandulofis, longiſſimis & ampliſſimis conſtans, ſuccum copioſiſſimum leviſſimo manuum tractu, ad aliquot *drachmas*, promentibus.

Succi *Color* inſtar puris bene concocti ac albicantis, ſtriis lympidis permixtus, ſe habebat.

*Interior canalium conſtitutio*, non lævis ſed aſpera, infinitisque ductubns lateralibus ſeu cavernulis prædita cernebatur, quæ inſtar veſicularum in pulmonibus ranarum obſervabilium ſeu cellularum apum ſeſe habebant, niſi quod obliquo admodum atque omnino irregulari ſitu gaudebant.

*Amplitudo ductus majoris* ejusque in inteſtinum exitus, unius pollicis tranſverſi, *longitudo* vero ſeptem pollicum tranſverſorum erat.

*Notan-*

*Notandum* inteſtinorum ſtru-ćturam præcipue circa ductuum exitum plane convenire cum ipſa interiori canalium ſtructura, ex quibus, forte non male, quis colligeret, hunc ſuccum, ſalivarium ductuum ſucco analogum eſſe, atque ad inteſtinorum fiſtulam illinendam, ejusque contenta obvolvenda atque ad fermentationem diſponenda, plurimum facere, nunquam vero cum bile vel minimum efferueſcere.

*Exitus bilarii ductus* conſtrictus plane atque anguſtus obſervabatur, circa inſertionem notabiliter ampliabatur atque mox denuo conſtringebatur.

## TAB XI.

### *Fig. I.*

*Pancreas Hippogloſſi delineat.*

A. *Ventriculus apertus.*

B. *Ecphyſis.*

CCC. *Pancreas ſive appendices.*

D. *Appendix maxima ſeptem pollices longa, & unum lata.*

E. *Exitus appendicum in inteſtinum.*

D. *Ductus bilarii exitus in ipſam appendicem.*

### *Fig. II.*

*Appendicum interiorem ſtructuram comprehendit.*

A A *Appendicis ductus interiores ac laterales, inſtar cavernularum ſeu cellularum apum.*


TAB. XI
fig. III
fig. II
fig. IV
fig. I
A
A
A
C
C
C
E
B
D
F

*Fig. III.*

*Notatas cellulas microſcopio auctas ac exiccatas exhibet.*

*Fig. IV.*

*Inverſæ appendicis faciem monſtrat.*

*Rhombus Aculeatus* Geſneri, B. **Tar-bot.**

Viſcera hujus piſcis cum Hippogloſſi viſceribus, pancreatis ratione feré conveniunt.

TAB. VIII.

*Fig. II.*

*Viſcera Rhombi aculeati exprimit.*

A *Ventriculus.*
BB *Pancreas ſive appendices.*
C *Inteſtinorum primum.*

D *Veſica fellea cum ductu, qui ad latus unius appendicis inſerebatur.*

E *Lien in ſitu.*

### *Rhombus.* B.

### Bot.

Rhombi viſcera quadantenus, cum notatis piſcium viſceribus, conveniunt.

### TAB. VII.

### *Fig. IV.*

*Viſcera Rhombi demonſtrat.*

A A *Oeſophagus cum ventriculo.*

B *Ecphyſis portio.*

C C *Tubuloſæ pancreatis appendiculæ admodum exiguæ in hoc piſce.*

D *Veſicula fellis.*

E *Exi-*

E *Exitus appendicularum ac meatus bilarii in inteſtinum.*

F *Lien in ſitu.*

G *Hepar.*

## *Obſervata In Halece recenti, Vulgo* Panharinck.

Inter Halecis viſcera & Aloſæ, magna eſt affinitas, præſertim ſi ventriculum, ſpectes appendices, & veſicam aëriam, præterquam quod tota in hoc piſce argentea conſpiciatur, & hoc colore manus tingat. Adde quod ductus ſpermatici ad lactium apicem non procedant.

FINIS.

5/6/94